DE VITA
PETRI CANISII
DE SOCIETATE IESV,
SOCIORVM E GERMANIA PRIMI,

RELIGIOSISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI, BONO REI CATHOLICÆ NATI,

Libri tres

à

MATTHÆO RADERO,
EX EADEM SOCIETATE CONSCRIPTI.

APPENDIX
DE P. THEODORICO CANISIO
PETRI FRATRE.

ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum Verdussen. P. & F.
CIↃ. IↃC. XV.

PETRVS CANISIVS SOCIETATIS IESV.



Erudit ille ſtilo populos, hic fulmine linguæ
Incendit; caſtis moribus iſte trahit;
Millibus è multis da qui ſimul omnia poßit:
Hæc potuit noſter, CÆSARE *teſte,* PETRVS.

INCLITÆ
REIPVBLICÆ FRI-
BVRGENSI HELVE-
TIORVM

NICOLAO A DIESBACH

II-VIRO PRÆTORI,
SENATVI, TRIBVNIS, POPVLO-
QVE FRIBVRGENSI,
MATTHÆVS RADERVS E SO-
CIET. IESV SAL. FEL. ET MVLTOS
ANNOS.

REdit ad vos, incliti viri, CANISIVS vester atq; noster, qui apud vos aliquãmultos ante annos decessit, à vobis & animis vestris nunquã discessit. Redit tamẽ ille rursum, & redhostit simul (si licet prisco verbo

abuti) ad suos Friburgẽses, quos viuus vnicè dilexit; mortuus nunquam neglexit. Redit nõ vrnâ cõditus, vt Iosephus in Palæstinã; vel Germanicus in Vrbẽ; vel Polus cũ filio Athenas in theatrum: sed veluti Mycenæus ille iuuenis idem viuus & extinctus Argos & Mycenas; non vt cognatum sanguinẽ hauriat, sed vt paternum fraternumq́; vobis nobisq́; spiritum suum velut alter Helias impendat; quem quidem, quantũ potuimus aßequi, his chartis exprimere conati sumus, vt spirans, & quasi rediuiuus in memoriis vestris nunquam ampliùs intermoreretur. Debuimus & hoc illi nos in Germania officiũ, quorũ ille dux & antesignanus nomen Societatis primus in no-

stras

ſtras terras intulit; & exegit hoc virtus illius, quâ nobis viam ad Cælũ docendo & agendo communiuit. Abſit à nobis veterum ambitio formarũm ad modum vel extra modum hominum factarum: Nam

——— *quid prodeſt fictos oſtendere vultus*
Et Curios iam dimidios, humeroſq́ minorem
Coruinum, & Galbam auriculis naſoq́ carentem?

Ὁ λόγος, εἰ καλῶς διέλθοι τὰς ἀνδρὸς πράξεις, ἀείμνηστον ἂν τὴν ἀρετὴν ἐκείνου παρὰ πᾶσιν τοῖς ἀνθρώποις ποιήσειεν.

Has illi nos vigilias vigilauimus; has inferias dedimus ac damus. Obeliſcos & Pyramidas cũ Mauſoleis nõ inuidemus, quorũ memorias vel longa annorũ ſeries delet, ipſaq́ fuga tẽporũ abolet; vel orta tẽpeſtas & impotens Aquilo euertit, & proſternit. Senium pietas nõ ſentit, & ſola vir-

tus, vt ille ait, clara æternaq́ habetur. Res ergò piè religioſeq́ per Caniſium geſtas, non ſine labore primū ex Belgica, Italia, Sicilia, omniq́ dein Germania collectas in literas miſi, atq́ in hominum memorias foras dedi, & inclitæ Reip. veſtræ nomini inſcripſi, tam benè de Caniſio, tam præclarè de Societate merito. Clamant ſaxa & ſiluæ, quæ iuſſu & imperio veſtro in fundamēta, parietes, tecta coierunt, vt nobis hoſpitiū vocatis pararetur. Stat celſa in rupe & velut immobili capitolij ſaxo nobile Muſis Athenæum, veſtræ iuuentuti erudiendæ conſtitutum. Conditum eſt à vobis amplum & magnificum Sociis domiciliū, vnde velut ex arce ad populum iuuandum decurramus.

Viſitur

Visitur ædes sacra à fundamentis quoque in cœlū educta, sublimis, augusta, vestraq; magnificentiâ digna, cælestium copiarū ductori Michaëli nuncupata, illustre & æternum inclitæ Reipub. monumentum. Accedit etiam vestra singularis aduersus Societ. beneuolentia, omnibus ædificiorum molibus potior, cui nos pro viribus respondere par est, vestræq; Reip. succurrere, siue informanda est ad omnem honestatis laudem, & virtutis elegantiam tenerior ætas; siue populus pro concione erudiendus, quâ viâ rectâ ad cælum tendat; siue ægri in morbo leuandi; siue cum morte luctantes in hostem armandi, cæloq; transmittendi; siue circumstrepentiū rabies luporum ab ouili-

 bus

bus Christi arcenda, siue quâ viâ, consilio, votis, auxilio Resp. iuuanda. Vtimini Sodalibus ad hoc natis, vt Vrbes, Prouincias, populos, respublicas, regna, omnemq́ orbẽ terrarum propius cælo admoueant, secumque ad beatam & immortalem vitam deducant. Amat Societas nostra nomen omne Heluetīcum, exosculatur fidem, *cuius custodiæ summi terrarum præsides sua latera vitamq́ commiserunt, hodieque præ popularibus cõmittunt; amplexatur in Catholicis nunquam extinctam in religione defendenda* constantiã, *in qua vestra quoq́ inter cæteros eximia virtus sepius enituit, cũ toties sollicitati, toties fatigati, toties prouocati, nunquam ab auita maiorum*

pietate

pietate vel latum vnguem, quamuis vndique hostibus Catholicæ disciplinæ circumsepti, dimoueri potuistis. ad quam rem testandam ac firmandam etiam Societatis alam suppetiatum euocastis, quæ cælestibus armis pro populo ne luporum incursione turbaretur, excubaret & propugnaret. Sed redeo ad Canisium, cuius memoriam vobis ita suggero, vt meminerim extremũ eius actum à vobis mihi potissimũ suggestum. De fide, quod quidem caput est in historia, ausim, quantũ industria fert hominis, polliceri certa testataq́ denarrari, quod & adiuncta sæpè illustrium & publicarũ Academiarum monumenta; Collegiorũ & Prouinciarum annales; ipsiusq́ Canisij ad

plures

plures compositæ literæ vel acceptæ; Summorum denique Pontificum, Imperatorū, Principū, rerumq́; publicarum tabulæ, quibus maximè nitimur, docebunt, planißimumq́; facient. Quod si porrò talem ego Canisiū, qualis dudū in animis vestris viuit, calamo non potui vel assequi, vel exprimere; desinite mirari; Viuunt imagines animorum; mortuæ sunt litteræ, quibus tamen auctoritate nominis vestri vitam dabitis, si quod futurum omninò speramus, gratam vobis mentem nostram conatumque fuisse ostendetis. Monachij Boiorum, Calendis Maijs, Anno post receptam mundi salutem. CIↃ.IↃC.XIV.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

Fol.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

FINIS.

DE VITA R.P. PETRI CANISII.

LIBER PRIMVS.

PATRIA, NATALIS, EDVCATIO CANISII.

CAPVT I.

NON est obſcurum mihi, viros & re ipſa pios, & opinione ſanctitatis illuſtres, de generis ſplendore, maiorum ceris, familiæ claritate rogatos, vel ipſo ſilentio nobilitatis ornamenta diſſimulaſſe, vel cælum patriæ loco indigetaſſe, vel auerſo ſermone alia omnia reſpõdiſſe; cùm

A parẽ-

parẽtum & propinquorum charitates omnes, vna religionis modestia, Christiq; amore commutassent. Sed nõ perinde alij de ijs, vt ipsi de se tacuerunt: nam quantò studiosius illi domesticas laudes premere conati sunt, tantò curiosius cæteri peruẽstigarunt. Vt enim omnis insolẽs de se prædicatio fœde sordet, ita modesta taciturnitas ignotum mirificè commendat, ac veluti publicum mundi sidus orbi terrarum spectãdum proponit. Fuit Canisius inter suos bono loco natus, habuit parẽtes copiosos & consulares; præter nomen tamen nihil admodũ ex ipso potuit cognosci. Ex fratre, cognatis, popularibus alijsque, si quid de sanguine Canisij, & propinquitate quæreres, discendũ fuit. Ergo Sicambris, (hodie Geldris) gente fortissima, & gentis vrbe principe, magnorum ingeniorum alumna ortus, Nouiomago patria, Theodoro Canisio auo, Iacobo patre,

Theodorus

tre, matre Ægida Honuuingana(cuius maiores Siluaducis, Nouiomagum commigrarunt) iure poterat gloriari. Sed cùm ad cælestis patriæ metam cogitationes suas omnes destinasset, oblitus terræ, sui, suorumque altius (vt illi) caput humanis exeruit. Iacobus primam ferè ætatem in cultu ingenij posuit; vnde comparata sibi magna eruditionis fama; iuris enim consultissimus erat, Lutetia Parisiorum euocatus, principis Lotharingiæ liberos ad omnem virtutis & doctrinæ laudem ac elegantjam cœpit informare; simul in consilium & vsum Reipub. adhibitus, serò tandem patriæ desiderio captus, impetrata missione ad Carolum Egmondanum Sicambrorum principem abiit, locumque inter primos Aulæ & Senatus proceres inuenit: quem ob Eloquentiæ & doctrinæ excellentiam, prouinciæ præses, grauissimis legationibus

Canisianus auus

Iacobus pater quis vir.

ad Christiani id temporis Imperij Dominos, prǽfecit. Nouiomagi consul nonùm ex ordine, & extra ordinem, difficilioribus Reipub. temporibus, duobus ipse Consulibus consularis adiunctus, perpetuum quodammodo magistratum gessit. Hic ipse est Iacobus qui fæderis inter Carolum V.O.M. Imperatorem, & Guilielmum Sicambriæ, Cliuiæ, Iuliæ, & Montium principem, aliarũq; præfecturarum toparcham, atq; ordines prouinciæ, potissimus auctor, àc veluti pater patratus fuit. Multa possent de vniuersa & numerosa Canisiorum familia tradi, sed omissis hisce, quæ vix nostra censeri solent, ad Petrum ipsum veniamus, quē annus à Christo nato primus & vigesimus post millesimum quingentesimum, VIII. Idus Maij, qui D. Michaeli cælestium copiarum principi sacer est, in lucem feliciter edidit, cùm Leo X. Pontificatum, imperium Carolus

Natalis Canisij. CIↃ.IↃ.XXI.

rolus V. administraret. Teneram pueritiæ ætatem Nouiomagi in primo literarum tirocinio, & virtutis rudimento posuit. Sæpius enim iam tum futuræ pietatis indicia prodebat, cùm non rarò, nocturnis horis, & diurnis sola, remotaque à strepitu familiæ captans loca, Numini supplicabundus, votis & precibus intẽtus, deprehensus est. Horrente setis tunica tene[illegible]um corpusculum afflictauit. Ipsis Orgiorum solennibus, inter lautas mensarum epulas accumbens, à gustu vini pro debacchantium salute abstinuit. Erat Arnhemij †Reinolda, perquàm honesta & religiosa vidua, quæ suis facultatibus Xenodochio trãscriptis, id vnũ studebat, vt omnia vitæ suæ studia vni Deo probaret; huic iter facienti, inter Neomagum & Arnhemium, Deus familiariter aperuit, quæ proximè secuturis annis tempestates rebus publicis imminerent, quæ principũ dissidia,

Pietas Canisij pueri.

Reinol de vaticiniũ de Canisio.

†Reineram siue Reinhardã alij vocãt.

dissidia, qui religionū errores, quanti bellorum turbines omnes Germanias, Galliasq́ue, & potissimùm Belgas essent oppressuri. His subiecit, armis vtcūq; positis, religionem quoq; Catholicam per nouum religiosorū Presbyterorū ordinem (Societatem nostram designabat) instauratū iri. Hęc oracula Numinis cū Reinolda in corona cognatorū exponeret, & inter ipsos propinquos Petrus Canisius tredecennis puer adstaret, Reinolda ad illum conuersa, humerosq́; stātis permulcēs, Et hic, inquit, vnus ex illa familia Sacerdotū Iesv erit, qui in sanandis Ecclesiæ vulneribus desudabit. Quæ omnia, quàm vera præsenserit, euenta docuêre. Idem religiosa & nobilis virgo de Canisio, vt infrà, & de Reinolda pluribus ostē dam, predixit. Petrus adhuc in ephebis ad politioris literaturæ elegantiam, & iuris diuini ac humani cognitionē comparādam, Coloniā Agrippinam

pinā profectus, doctorē, vel domesticum, vt opinor, præceptorē, vel politiorum certè literarum & Eloquentiæ magistrum habuit primū Nicolaū Eschium presbyterū; anno quippe CIↃ.IↃ.XXXIV. in album contubernij Montani inscriptus legitur. Huic Eschio plurimū debuit virtus & innocētia Canisij, singulari studio ab illo custodita: de quo suo doctore, viro æterna memoria dignissimo, & omnium præceptorū exemplo hæc ipse Canisius in libro Confessionū, quē ad S. Augustini imitationem de seipso scripsit, denarrat. Ipsius enim verba, quòd singularē spirent pietatē, & maiorem faciant fidē historię, placuit subscribere: *Cæterū* (inquit) *vt ad præceptorē, imò ad patrem Eschiū reuertar, benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui talē tribuit tibi ad pietatē magistrum & hortatorem quotidianum, vt qui non mea, sed me, salutemque*

Nicolai Eschij virtus & cura de Canisio.

meam amaret, & curaret sedulò. Hoc ipso duce, displicebã mihi paulatim, vt rectius placerẽ tibi Deus, quẽ adhuc parũ cognoscebã, minusq́ timebam in illo flore iuuentutis. Illius consilia, mores, exempla, nouam veluti lucẽ inferebam oculis, & auribus meis. Illius authoritate frangebam, & cõprimebam præcipites motus, ac vanos ardores adolescentiæ, illius familiaritate contentus, reliquas necessitudines & sodalitates facilè negligebã. Nullus (quod sciam) fuit mihi tũ charior, ac cõiunctior; tãtumq́ illius iudicio tribuebã, quantũ à filio pater desideraret. Neque solum in confeßione secreta me totũ illi, & sæpè quidẽ aperiebã, verũ etiã prius quam nocte cubitũ discederẽ, exponebam illi familiari colloquio (tanta erat fiducia) lapsus, ineptias, & sordes animæ meæ, vt illi iudici rationẽ erratorũ, ac transacta diei redderẽ, ac si vellet etiã peccatorũ aliquã luerem pœnã. Agnosco & reuerenter laudo misericordiã tuã, quæ

semper

ſemper,& vbique vias meas proſperabat. O cuſtos fidelis hominũ,& protector vitæ meæ Deus! Hunc virũ Coloniæ velut alterũ Ananiã ad me inſtituendũ, tibiq́; propius coniungendum (vt arbitror) certa prouidentiæ tuæ lege deſtinaſti. Igitur ille pro me ſollicitus eſſe pergebat, precabatur, flebat, benedicebat, præmonebat, vrgebat, atq; ſcribebat. Et cũ aliquando ab illo abeſſẽ diutius, tamq́; in patria mihi pluſcu'ũ indulgerẽ, ac laxiorẽ vitã amplexurus viderer, per illũ ipſum ad me tum venientẽ, veluti dormientẽ filiũ excitaſti, & negligentẽ corripuiſti, & lapſurũ erexiſti, & imbecillẽ ad te reuocatũ illius cura & opera in via tua cõfirmaſti. Pungebat cor meũ cũ ex illo audirẽ & diſcerẽ huiuſmodi ſententias: Seruire Deo regnare eſt. Sola ſalus ſeruire Deo; ſunt cætera fraudes. Si Chriſtũ bene ſcis, ſatis eſt, ſi cætera neſcis. *Idem prudenter hoc agebat, vt quotidie caput ex 4. Euangelijs vnum*

CANISIVS A PETRO FABRO SOCIETATI PRIMVS E GERMANIA ADIVNGITVR.

CAPVT II.

CAnisius decurso Coloniæ Philosophiæ studio, cælestium literarũ mysteria mox ingredi, & sanctiori Theologiæ operam omnem impẽdere cœpit. Ad quam rem felicius & commodius exequendam, studuit omnia à se gaudia corporis remouere; nuptiisq; & cõiugio in omnẽ vitã renunciare. Quãobrẽ ipso die S. Matthię, cùm annũ ageret vndevicesimũ castimoniã voto signauit, nec vnquã postea resignauit; sed mente ad diuina translata in studio sapientiæ, quã purus, & à corporis vitiis liber animus mirificè imbibit, miris modis profecit. Venerat interea loci Mogũtiã Petrus Faber, è primo Sociorũ decẽuiratu à Cardinale Alberto Archiepiscopo Moguntino Spira euocatus,

Canisius Castimoniam adolescens vouit.

CIↃ.IↃ XL.

Petri Fabri virtus

CIↃ IↃ. XLII.

tus, ibique res memorabiles gerebat, ad indictũ à Paulo III. Tridenti conciliũ destinatus, quod per id tempus atrox inter maximos Christiani orbis principes Carolũ Imperatorem, & Franciscum Galliæ regem, bellum exortum disturbauit, cùm nusquam tutus viarum commeatus esset. Quæ caussa fuit, quamobrem Petrum Fabrũ apud se Cardinalis retineret, vt aliquid è voluminibus sacris publicè explanaret; qui mox cæleste psalmorum carmen Dauidis cœpit in Academia Moguntina cum ingenti applausu explicare. Nec minus interim studij in rerum diuinarum contemplationem aliorumque salutem omni ratione expediendam contulit, cùm alios exemplo & modestia vitę, quæ maximum habet ad permouendum momentum, alios literis, alios familiari sermone ad virtutis laudẽ, rerum præsentium contemtionem, sui despicientiam, Christiamorẽ incitaret.

Psalmos exponit Moguntiæ Fab.

citaret. Longè proinde lateq́ue fama viri dilata, abſentes etiam, vt ſolet, in ſui admirationem rapiebat, quæ Caniſium quoque Coloniæ afflauit, tantoq́ue videndi Fabri deſiderio inflammauit, vti ſibi tanti viri conſpectum & congreſſum nullo modo negligendum putaret. Numinis igitur impulſu expeditus Moguntiam aduolat, ſeſeq́ue Fabro religioſis meditationibus imbuendum committit. in quibus tantum rerum diuinarum ſpiritum hauſit, vt deſertis omnibus ſtudiorum præmijs, & ſperatis dudū honoribus abdicatus, totus in auctoritate Fabri eſſet, Deoq́ue ſe, quantus quãtus erat, & ſocietati per prima vota, VIII. Idus Maij An. ſalutis partæ tertio & quadrageſimo emãciparet. Quod ipſe Caniſius cõceptis verbis, Romæ ex ipſius autographo exſcriptis, & ad me tranſmiſsis, teſtatur, egoq́ue lectori cognoſcendum ſubiicio.

Caniſius P. Fabrũ cõuenit.

IN

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

CIƆ.IƆ XLIII. *Votum Canisii*

Anno 1543.*die Apparitionis S. Michaelis, aut in octaua Maij, quæ dies mihi natalis est, tribuens initiũ anni* 23. *ætatis meæ post maturã deliberationẽ, ego Petrus Canisius Nouiomagẽsis, voueo simpliciter Deo omnipotẽti, B. Virgini Mariæ, S. Michaeli Archãgelo, & omnibus Sanctis ex nunc me trãsiturũ ad obedientiam Societatis, quæ dicitur* IESV *Christi: similiter Domino Deo, & Sãctis eius promitto firmiter & voueo, quod per diuinã gratiã velim etiam ex nunc actualẽ assumere paupertatẽ, nisi quatenus & quamdiu Præpositus dictæ Soc. aut eius loco M. Petrus Faber impedierit, qui nunc dignatus est me in Probationẽ suæ societatis recipere. Voueo præterea peregrinationẽ instituere ad limina SS. Apostolorum Petri & Pauli Romæ, & hoc quamprimũ si non aliter determinauerit idem M. Petrus. Quod si in ordinẽ Societatis huius me non acceptari contingat, volo me tunc*

ſtatim obligatũ eſſe, ſecundũ conſilium ipſorũ profeſſorum in eadẽ Societate, ad acceptandũ protinus ordinem aliũ probatum in vita cõmuni, & approbatæ obedientiæ. Atque hæc omnia duntaxat propter honorẽ & amorem IESV *Chriſti Domini noſtri, deinde ſimul ad honorem & ſeruitiũ glorioſæ Virginis Mariæ, ſancti quoque Michaelis, & omniũ Sactorũ in ſalutem animæ meæ. amen.*

Sic præſenti manus meæ ſubſcriptione, ſic & ſumptione ſanctiſſimi Corporis Chriſti perpetuo conteſtatum manere volo.

✠ ✠ ✠

Modis omnibus oro ſimul & requiro, vt ſuperiores mei me commoneant, corripiant, & ad hæc obſeruanda rigidè compellant, ſi fortè (quod abſit) cõtingat me conuerti retro & meditari ſuffugium & excuſationem ab omnium horum impletione.

Extat & Epiſtola Caniſij Ioanni Buſæo claro è Socijs viro inſcripta, in

in qua de Fabro multa, & ſuo cum illo Moguntiæ congreſſu, quando ad Conradũ apud Diui Chriſtophori ædem parochum, quem Faber ex impura ad ſanctam & religioſam vitam traduxerat, diuertit. Epiſtolam Nicolaus Serarius Moguntiacæ hiſtoriæ inſeruit. Fabrum porrò Caniſius & præſentem & abſentem tanti fecit, vti vix hominem, ſed delapſum aliquem è ſuperis cælitẽ veneraretur: quod ipſius Caniſij literæ ad familiarem datæ, quando Moguntiæ cum Fabro verſabatur, atteſtantur in hæc verba ſcriptæ: *Secundis ventis Moguntiam veni, virum quem quæſiui, ſi tamen vir eſt, & nõ potius angelus Domini, meo magno bono reperi; quo nec vidi, nec audiui doctiorem, profundioremq́ Theologum, aut tam illuſtris eximiæq́ virtutis hominẽ; Illi nil æquè in votis eſt, ac Chriſto cooperari in ſalute animarum; nullum ex illius ore verbum ſine in vſu, familiariq́ congreſ-ſione,*

Nicolaus Ser. in Mogunt. lib. 5.

sione, siue dum mensæ accumbit, prodire audio, nisi quod Dei honorem & pietatē sonet, neque tamen ob facundiam audientibus grauis aut molestus est. Authoritatem tantā habuit, vt ei se spiritualiter informandos multi religiosi, multi Episcopi, multi Doctores tradiderint; inter quos est Cochlæus ipse, qui pro ipsius instructione gratias se reddere pares vnquā posse negat. Multi Sacerdotes & cuiusuis Ordinis Ecclesiastici, vel concubinas abiecerunt, vel sæculum reiecerunt, aut à grauibus flagitiis frugem meliorem eo adnitente adlaborante q; sese receperūt. Quod ad me attinet, dici vix potest, quēmadmodum exercitationibus illis spiritualibus animū meū ac sensus immutari, mentem nouis cælestis gratiæ radiis collustrari, & nouo quodā me vigore affici senserim, sic vt & in corpus redundante diuinæ beneficentiæ copia totus corroborari, atque in alium prorsus hominem transformari viderer.

COLO-

COLONIÆ FVNDAMENTA COLLEGII IACIT. A PROPINQVIS VExatur.

Capvt III.

CAnisius à Fabro Coloniā remissus, cœlestes in pectore faces, ex ore Fabri haustas, secum detulit in ciuitatem, quas mox familiaribus suis, atque inde alijs atque alijs admouit, quibus multorum animos ad futuræ vitę spem amoremque vehementer inflammauit. Ac primum omnium hospitem suum Andream Heerlæum Bardeuicium. Theologiæ candidatum, ad S. Gereonis Canonicum Societati mirificè conciliauit, & mox omnem B. Brunonis Carthusianorum familiam adeo sibi, Fabro, & Socijs omnibus deuinxit, vti neque meliores tum Coloniæ patronos, neque munificentiores

Semētē virtutis facit.

centiores in ſe fautores noſtri, quos Caniſio Agrippinam redeunti Faber Socios adiunxerat, experirentur; quod Societati tum primùm Coloniæ per Caniſium natæ vehementer profuit, cùm inopiæ patrum rerum ibi tum omnium egentium liberaliter ſuccurrerunt. Ipſe Prior Cœnobij Gerardus Hemmontanus aduentum Fabri magnoperè deſiderabat, vt ab eodem vitæ ſanctioris præcepta cognoſceret. Caniſius interea Coloniæ cum Alphonſo Aluaro ſe totum in pauperum curam & officia charitatis non ſine ſtudiorum iacturâ effudit, vt hoc nomine à Fabro per literas fuerit dehortandus, & docendus, ita cum miſeris tempus eſſe tranſmittendum, ne rebus maioribus & publicis idem ſubducatur; quærendos potiùs, quos in huiuſmodi occupationibus ſibi poſſint certis temporibus ſufficere; curſum ſtudiorum nec dum ad metam

Carthuſianorum Colonienſiū inprimos Soc. Patres liberalitas.

tam

tam perductum, non esse abrumpendum, interiungi subinde posse, non abiungi. Sed accidit interim, vti voluntate Numinis Iacobus Canisij parens è statione vitæ euocaretur, & Petrus herciscundæ hæreditati domum citatus, Neomagum veniret. Quod vbi Faber (qui per eos dies Louanio, vbi maximas res gerebat, Coloniam venerat, vt nouale Patrū lustraret) sensit, cùm Canisium præsentē nō offenderet, magnoperè mirabatur, quid ei præter spē obuenisset. Postquam Patri funebria persoluere didicit, extemplo ad eum literas amoris & officij plenissimas expediuit, in quarum exordio, eum de morte patris æquo animo ferenda solatus, monet, vt quamprimum Coloniam reuertatur. Canisius, vt erat ad Fabri nutū factus, rebus vt cunque compositis, & bonis magnam partem in pauperes tributis, Coloniam aduolat, quem acerrimæ no-

uercæ

uercæ literæ è veſtigio conſecutæ in patriam reuocabant, quibus grauiſſimè querebatur , fundos paternos alienis erogatos; de hæreditate nondum plenè conuentum; illum à peregrino homine per ſpeciem religionis ob ſpem prædæ circumuentum; à ſuis auulſum, rediret ad ſuos, matris orbitatem ſolaretur, notos & agnatos ſpe ſua non deſtitueret; ignotos negligeret. Hæc & his plura, quæ ira & indignatio pleno thylaco ſuggerebant, mater Caniſij nouerca ad Fabrum. Faber Caniſio recepto recreatus, ad nouercam ipſe cum Caniſio reſcripſit, docuitque ſe Caniſio nõ fuiſſe bonorum in alienos partiendorum auctorem, nec Petrum ad ſe, ſpe vllius cõmodi aut numi allectum, cum vterque & tota Societas, in verba paupertatis iurarint. Non erit abs re partem longioris Epiſtolæ apponere, vnde ſpiritum & ſapientiam Fabri diſcas.

tam perductum, non esse abrumpendum, interiungi subinde posse, non abiungi. Sed accidit interim, vti voluntate Numinis Iacobus Canisij parens è statione vitæ euocaretur, & Petrus herciscundæ hęreditati domum citatus, Neomagum veniret. Quod vbi Faber (qui per eos dies Louanio, vbi maximas res gerebat, Coloniam venerat, vt nouale Patrū lustraret) sensit, cùm Canisium præsentē nō offenderet, magnoperè mirabatur, quid ei præter spē obuenisset. Postquam Patri funebria persoluere didicit, extemplo ad eum literas amoris & officij plenissimas expediuit, in quarum exordio, eum de morte patris æquo animo ferenda solatus, monet, vt quamprimum Coloniam reuertatur. Canisius, vt erat ad Fabri nutū factus, rebus vt cunque compositis, & bonis magnam partem in pauperes tributis, Coloniam aduolat, quem acerrimæ no-

uercæ

uercæ literæ è veſtigio conſecutæ in patriam reuocabant, quibus grauiſſimè querebatur , fundos paternos alienis erogatos; de hæreditate nondum plenè conuentum; illum à peregrino homine per ſpeciem religionis ob ſpem prædæ circumuentum; à ſuis auulſum, rediret ad ſuos, matris orbitatem ſolaretur, notos & agnatos ſpe ſua non deſtitueret; ignotos negligeret. Hæc & his plura, quæ ira & indignatio pleno thylaco ſuggerebant, mater Caniſij nouerca ad Fabrum. Faber Caniſio recepto recreatus, ad nouercam ipſe cum Caniſio reſcripſit, docuitque ſe Caniſio nō fuiſſe bonorum in alienos partiendorum auctorem, nec Petrum ad ſe, ſpe vllius cōmodi aut numi allectum, cum vterque & tota Societas, in verba paupertatis iurarint. Non erit abs re partem longioris Epiſtolæ apponere, vnde ſpiritum & ſapientiam, Fabri diſcas.

VENERANDA ET CHARISSIMA IN CHRISTO Domina.

Petr. Fabri literæ ad Canisij nouercam.

MPetrum Canisium filiũ tibi quidem semper hactenus charissimũ, nunc verò degenerem prorsus factum esse conquereris, idque meâ vnius operâ factum arbitraris. Ego contrà, cùm videã honestissimum & optimum adolescentẽ firmissimo spiritus & amoris glutino mihi coniunctissimũ ac vnum propè mentis ac voluntatis consensione factũ esse, nõ possum nõ ex animo optima quæq; illi velle & peroptare, vsq; eo vt propinquis eius & cõsanguineis omnibus quiduis me debere arbitrer. Cõsanguineos dico nõ eos dũtaxat, qui Christianæ vnionis & Euãgelicæ perfectionis vinculo sunt deuincti: sed eos etiã, quos secũdũ carnẽ amicos & coniũctos habet. Hinc fit, vt multũ & frequenter Deo Opt. Max. supplicem, ac preces fundam pro anima parentis illius nuper in Christo defuncti, pro tua consolatione, pro li-

pro liberis, propinquisq; vestris. Ita ne verò inquies? Quid igitur est, quod M. Petrū à nobis auocasti, quē nobis præsentia sua, consilio, adiumēto, & cōsolani esse non ignorabas? Quid facias, obsecro, Christiana Domina, si ex vna parte videas Christū IESVM *in ipsius mēte & spirituali profectu veluti deliciis quibusdā perfrui, atq; cōquiescere velle? ex altera verò carnales amicos atque propinquos in eius carnali præsētia, bonisq; fluxis & caducis gloriari modis omnibus percupere? Certè (si modò æquū me hic arbitrū admittere velis) cōsultius potui facere nihil, quā illū in spirituali suo studio adiutū velle, neque tamē in eo gloriā aliquā quærere, & simul operā dare, ne ex eius fortunis vel terūtius vnus in meū vsum conuertatur. Quæstio, vt audio, tota est de rebus tēporalibus; paucis curæ, quò nam anima M. Petri perueniat. Sed id grauiter & molestè multi ferunt, si quæ hereditario iure illi obuenerunt, alienentur.*

Dolemus glebã à gebla disiungi, animas vero nostras à suo cõditore Deo, cui adhærescere summæ felicitatis, abstrahi, auelliq́; nõ dolemus. Hoc autẽ, super quo vel emori cupio, si hactenus, quod quidẽ sciam, illorũ temporalium bonorũ quicquã in rem meã cesserit. Fidelis Deus, qui hac in parte me fidelẽ fecit, vt spero in gloriã suam, vt ne quidẽ statuere queam gloriã propriã in temporalibus.

Cur ergo hic, inquies, nõ illũ id facere prohibes quod scis nobis omnibus esse lõgè gratissimum? quantũ ille bonorũ distraxerit, nõ mihi penitus est perspectũ; neq; tamen, vt liberè, quod sentio, eloquar, eius factũ improbo. Quæ enim alienare dicitur, ea in pios vsus conuersa esse intelligo, atq; ita si verè ratiocinari velimus, nõ tam alienata videri debẽt, quã proprio germanoq́; possessori Deo, cuius sunt omnia, quæ huius orbis finibus cõtinentur, restituta. Et quod hic crimẽ? quã secum aduexit supellectilẽ, eã & apud ipsũ & in ipsius esse potestate scito.

Si vis perfectus esse vade, vẽde quæ habes, & da pauperibus &c.

scito. Aliud spectat hæc paucorũ cõgregatio; alijs lucris nostra inhiat Societas, quàm vt optet peritura, igneq; cõsumenda ædificare. Cætera quæ de me spargũtur, vaniora esse sum ratus, quã vt à vobis iis fides abhibenda esse videatur, cũ præsertim tales vos esse credã, qui & Deũ timeatis, & de proximo nõ nisi bonũ cogitare didiceritis. Nam quod me peregrinũ & ignotũ clamitant nõ diffiteor, sum enim peregrinus, sicut omnes patres mei; sum inquã, peregrinus in terra prouinciæ huius, & peregrinus ero in omni terra, id quam me Dei bonitas deduxerit, quoad vixero. Nitor autẽ, & in hoc totus sum, vt possim fieri domesticus Dei, & ciuis Sanctorũ.

Repressit his literis Faber importunitatem tum nouercæ, tum cognatorum, sed ita, vt omnem mouerent lapidem, quo nostri Colonia pellerentur. Retenti tamen Canisius & Leonardus Kesselius, de quo vbi locus admonebit, plura referemus: atque

Socij Colonia pelluntur

Leonardus Kesselius.

cic. io xlii. que hæc quarto & quadragesimo supra millesimum quingentesimum acta conijcio. Proximo, qui fuit quadragesimus quintus, à patriæ & patrimonij curis, Nouiomagum reuersus, se penitus expediuit, ac deinceps oblitus sanguinem & propinquos, totum se Christo consecrauit.

STVDIA PROSEQVITVR, SACRIS INITIATVR, DOCET, CONCIONATVR, legationes obit.

Capvt IV.

ERat Canisius ingenio ad sublimiora diuinarũ rerum studia factus; corporis & sui negligẽs, omniumque ferè alienarũ à literis occupationum incuriosus, vti amant esse, qui mente cælestia pertractant. Attẽtissimus ad sacrorũ oraculorũ interpretationes, patrũ sanctorũ lucubrationes, sententiarum in obscuris dictis varietatem consen-

cõſenſumque; cum auidiſſimis auri-
bus aliorum dictata hauriret, oculis
perlegeret, animo verſaret, quęreret,
in vtramque partem diſceptaret, ex
quo magnas ſibi eruditionis opes, in
gentemq; theſaurum ſapientiæ com-
parabat, quo poſtea ad condendos
libros egregiè vſus eſt. Honore pro-
lytarũ, qui dignitatis gradus in Aca-
demiis eſt ſummo proximus, affectus
cœpit ingenij ſui diuitias multis vi-
gilijs & ſudoribus collectas expone-
re. eademque opera in Lyceo Mon-
tano Coloniæ ſacram Euangelij hi-
ſtoriam explanare, & ſacrarum lite-
rarũ auditoribus in Academia Pauli
Epiſtolã Timotheo inſcriptã enar-
rare, ſimulque in æde ſacra ad popu-
lum patria lingua pro concione ver-
ba facere. Hoc ipſo ferè tempore ſa-
cris ritè initiatus, Coloniæ in cœno-
bio Nazarethano primùm Deo, ſum-
mo cum pietatis ſenſu, operatus eſt.
De loco ipſe Caniſius literis ſuis teſta-

tus eſt, cũ ſcripſit: *Cũ ex Mogũtia Coloniã rediiſſẽ, iamq́ ſacerdos per Catholicum Epiſcopũ ordinatus eſſem, primũ verò ſacrũ in cœnobio Nazareth obtuli Domino; cœpi quoſdã è noſtris alere, &c.* Ordines omnes Coloniæ non Moguntiæ ſuſcepit, vt ipſemet notauit: *ibidem*, inquit, (loquitur de Colonia) *primũ ſacra docere & cõcionari cœpi tua ſuffultus gratia, nec alibi ſubdiaconus diaconus & presbyter ſum factus.* Interim *Cyrilli ſanctiſ. & doctiſ. Põtificis Alexãdrini nobiliſſima ingenij opera duobus diſtincta voluminibus caſtigauit, ediditq́; & alterũ Sebaſtiano Archiepiſcopo Mogũtino; alterũ Theologiæ ſtudioſis nuncupauit. Vti mihi Caniſij plenũ & inundatũ ſapientia pectus tanquã flumen occurrat, ſuis antea aggeribus & cataractis clauſũ, quod repentè velut cæleſtibus auctũ aquis, perruptis vndiquaque repagulorum & crepidinũ clauſtris, ripisq́ue infuſum, per aperta cam-

Ex edit. Melch. Noueſiani.

ta cãporum longè lateq; reſtagnarit. Animaduertit hoc Claudius Iaius, vir ĩnterprimos Ighatij cõmilitones de religione Catholica in Italia, Boïca, Sueuia, Auſtria, & Germania tota prę̨clarè meritus, cuius encomiũ apud Ribadeneirã in vita Ignatij cognoſces; Hoc, inquã cũ Iaius animaduertiſſet, Petrũ adeo laboribus ſtudiorũ immerſũ oppreſſumq;, veritus, ne æſtu quãuis ſanctarũ & altiſſimarũ occupationũ abreptus, in breuia & ſyrtes deferretur, quod & facilè fieri poſſe intelligebat, & factũ non rarò ex Patrũ hiſtoriis meminerat, Paræneticas ad Petrum ex Vangionibus Wormatiâ, vbi tũ Iaius morabatur, miſit, quibus illũ poſt honoris acceptã gratulationẽ grauiter & religiosè monet, vt omnes ingenij, linguæ, & calami labores in ſolũ Deũ ſine malo dolo & popularis auræ captatione bona mente referat, nec aliud inde ſpectet aut expectet, quã Dei O.M. à

à quo omnia acceperit, laudẽ, vbiq; propagandã, & hominũ salutem omnibus studijs procurandã. Hortatur deinde, ne sic distineri se docendi, cõcionandi, & scribẽdi munere potiatur, vt inde diuini spiritus vis detrimentũ capiat, aut religiosis precãdi & contemplandi officiis sua tẽpora detrahantur aut cõtrahantur. Cõfirmat sententiã auctoritate S. Thomæ Aquinatis, egregij Christianę disciplinæ Philosophi, quem ostendit nunquam ad munus do[illegible]i, vel cõmentandi, vel scribendi, disputandiue accessisse, quin priùs ad aras confugeret, & propitiati Numinis præsentem opẽ imploraret. Nihil certè suscipi, nihil profici posse arbitratus, absque nutus diuini adiumẽto, à qu[illegible] omnia, quæ vsquã benè fiũt, in genus humanũ beneficia proficiscãtur. Hac ratione Canisius nunc à Fabro à nimia pauperum cura retractus ad studia; nunc per Iaiũ à studijs ad vota & pias

pias meditationes impulſus, mediam inter extrema viam ingredi diſcebat, vt ex conſuetudine non longâ, cum Fabro, Bobadilla, Iaio, optimis vitæ, morũ & virtutis magiſtris incredibili dictu ſit, quantam ſibi in rerum tractandarum vſu prudentiam peperit, quantum in diuinis lumen acceperit, quantum ex omnibus fructũ reportarit; vti nõ ſolum moderatorum ſuorum ſimilis, ſed etiam par efficeretur. Iam apud Vbios Agrippinos in oculis & ore omnium virtus, eruditio, & matura quamuis in iuuene prudẽtia Caniſij verſabatur, cùm ipſius Vrbis & cathedræ ſupremum caput cœpit languere, & à recto Catholicæ religionis tramite in Lutheri & Buceri hęreſiarcharum, & fidei, Numinis ac religionis deſertorum (cũ alter à S. Auguſtini, alter à S. Dominici caſtris profugiſſet) ſiniſtras partes inclinare, ſecũq; ſubiectos in exitiũ trahere. Hermannus Vueda, is

Optimi virtutis Magiſtri quantũ proſint

ClƆ.IƆ xliii.

erat Archiepiscopus Agrippinus, & Imperij Romani septemuir, in cælestium literarum cognitione parum benè versatus, eoque insidiis veteratorum & hostium religionis antiquę obnoxius, circumuentusq;, Argentorato Bucerum, Melanchthonem cum Pistorio, Sartorio, & aliis Catholicæ Reipub. pestibus è Saxonia euocauit: vbi ille palam venena feralis sectæ spargere, & populo pro concione imponere, literatis edito Reformationum scripto (quod cum antididagmate tanquam antidoto Coloniensis Academiæ ad manus habemus) fucum facere tentauit, coq́ue loci res erat, vt cū Principe populus vniuersus in discrimen hæreseos veniret. Quod inter primos clarissimus & doctissimus vir Ioannes Gropperus sensit, & cum vniuerso Coloniensis Academiæ & Cleri cōcilio Canisium ad Leodiensem Antistitem aduersus nascentem sectæ flammam

CIↃ IↃ XLVI

flammam auxilium petitum legauerunt. In qua functione cùm diutius cogeretur Leodij propter rei grauitatẽ herere, ne bonas horas otio trãsmitteret, more Societatis interim Cathedras procurauit, & festis diebus omnibus historiam Euangelicã frequentissima concione explicauit, sæpeq; eodem die in Episcopio, parœciaque binas conciones habuit, aliás etiam Ecclesiasticos à Decano citatos ad officij munus exequendum hortatus. Testantur literæ Canisij ad Leonardum Kesselium, primum Colon: Collegij præsidẽ, quibus docet; ipso Natali Christi coactum ab Episcopo, qui fuit Georgius Austrius Maximiliani Romani nominis primi filius, ex tempore de rebus diuinis apud ipsum & aulicos verba facere singularique amoris significatione tractatum, ad mensamq; adhibitum. Coloniam vbi confecto fæliciter negotio redijt, illico ab ijsdẽ ad Caro-

Altera legatio cõmißa Canisio

lum Quintum in castra super eodem negotio mittitur, quod ipse in confessionis libro de se, & annales Collegi Coloniẽsis testantur. Carolus sacrũ ordinẽ Clericorũ Coloniensium cum Academicis, citato ad causã dicendã Hermanno, in tutelã recipit, & contra Pseudoepiscopum auxilia pollicetur, cùm adversarij eundẽ defendendum suscepissent. Effectũque vt anno CIↃ. IↃ. XLVII, à summo Põtifice exauctoratus & proscriptus honorem & tiarã Adulpho Schauenburgio cesserit. Gropperus ob fidem & operã Ronanę Ecclesiæ strenuè nauatã, nihilminus suspicatus Friderici Bonnensis Præsulis Hermanni fratris, sedem iussus occupare, demum etiam in sacrum purpuratorum Romæ Patrum consilium à Paulo IV. adscitus est, vir amplissimus, & quo affectus est, honore dignissimus, atq; in profligata morũ disciplina, cum omnium admiratio-

Gropperus Cardinalis.

ne ausus esse sanctus, quando in suo conclaui ancillam, dum lecto stragula imponeret, deprehensam mox exturbauit, & lectũ ipsum per fenestrã cubiculi contactu fœminę quasi pollutum inquinatumq; in viam deiecit. Cuius insignem encomiasten egit Surius, cum de Hermanni exauctoratione narrans res anni CIƆ.IƆ.XLVII. tractaret. Canisius dum in castris apud Carolum. Coloniensium causam vrget, in Othonis simul Cardinalis & Pontificis Augustani familiaritatẽ, magno optimi Principis vsu venit, à quo, post obitam Coloniensium legationem, cùm Claudio Iaio ad concilium Tridentinũ, anno Christi CIƆ.IƆ.XLVII. cùm ipse VI. & vicesimum ageret, est missus. Cupiebant iam pridem vehementer Academici Agrippini Canisium secũ retinere; sed cùm is iam diu Societati iuratus, in suorum se maiorum auctoritate esse profiteretur, nec sine illorum

Gropperi virtus & castimonia.

illorum permissu Coloniæ degere posse affirmaret, consilium Academicum literas ad Bobadillam pro retinendo Canisio dedit, ex quarum sententia facilè potest intelligi, quid de Canisij spe & eruditione senserint: subijcerem verba nisi ad alia properarem. Enimuero cùm per orbem Christianũ Societatis opera magnopere à Pontificibus, Regibus, & Rebus publicis desideraretur, in tanta sociorum paucitate visum est Canisium auocare, vbi vtilius operá collocaret: præsertim cum ea tempestate Patrũ in ea ciuitate præsentia parum grata videretur; & socios Canisij, senatus edicto, quod à Canisij propinquis odiũ in nos, propter ipsum Canisium esset excitatũ, tantũ non proscripsisset; iamque Alphonsus Salmeron in Hispaniam esset reuocatus, Bobadilla iam ante inde profecto: solo Leonardo Kesselio ibi relicto, qui cælesti potius quàm humana

Leonardus Kesselius vir diuinus

mana

mana ope Societatis nomen ibi retinuit, & societatem ipsam postremo cum ingenti fructu Reipub. restituit.

Canisius, vti narrare cœperam, ad Othonem reuersus, ab eodem cum Wolfgango Remio Prępofito Augustanæ Ecclesiæ Tridentum ad sanctissimum Patrum concilium mittitur: vbi se cũ Claudio Iaio Othonis legato coniunxit, & cum eodem Bononiam, quo sanctus Pontificum senatus diuerterat, se contulit, ibiq́ue publicè in maximo Patrum consessu sententiam dixit, quæ ex ipsius Canisij tabulis exscripsi. Reliquas eiusdẽ legationes à summo orbis Christiani præside imperatas suo loco exponemus.

Tertia à Canisio Legatio obita. C I O I O XVII.

ROMAM VENIT, INDE IN SICILIAM, ET ROMA RVRSVS IN GERMANIAM atque Ingolstadium.

Primus Canisij in vrbẽ aduentus.

CAPVT V.

Concilio intermisso magis quàm dimis-

ciɔ.iɔ. xlvii. dimiſſo, Caniſius cum Iacobo Laineſio Florentiam adijt, vbi reliquam æſtatem ad ſeptembrem vſq; tranſegit; Inde ab Ignatio Societatis auctore & Præſide Romã euocatus, diuino planè ſe gaudio delibutum ſcribit, quod ſibi vrbis tam copioſo, tot ſanctiſſimorũChriſti athletharũ ſanguine purpuratæ copia viſendę eſſet facta. Traduxit Romæ menſes ferè quinq; quibus in omnibus ſe religionis noſtrę aſceticis magno animi ardore exercuit. Menſe Februario ineuntis anni ciɔ.iɔ.xlviii. deſtinatus in Siciliam cumHieronymoDomenicho Valentino, Hieronymo Natali Hiſpano, Andrea Fruſio Gallo, Bĕdedicto Palmio Italo, & aliis claris Societatis noſtræ luminibus, cũ fauſta Pont.Max.Pauli III. apud quem Caniſius publicè dixit apprecatione, periculoſa nauigatione vſus Meſſanam appulit. Collegij Mamertini primum egitRectorem Hierony-

ronymus Natalis, Rhetorem Canisius in Lyceo, Oratorem in templo; ex vtriusq; auditoribus magnum operæ fructum retulit. Reuocatus anno insequenti Romam, solenni votorum quatuor summorum nuncupatione se totum vsu & mancipio Deo & Societati consecrauit.

c. 3. 10. lix.

Secundus in vrbem aduentus Canisij.

Eodem anno Guilielmus magnus Boiorum princeps Alberti parens, Guilielmi superstitis auus, proauus Maximiliani hodie Boicæ imperantis, fama Societatis ad se perlata, putauit è re suorum fore, si Patres in Boica ad luporum rabiem passim grassantium arcendam collocaret. Fremebant enim circum ouilia Christi immanes feræ, & magnam Germaniæ partem inuaserant, fœdumq; in modum lacerabant. Iam Prouinciæ Saxonum, Intuergonum, Vessonum, Sennonum, Incrionũ, qui sunt hodie Wirtenbergenses, Brũswicenses, Brandeburgenses, Hessi, aliorumque

Gulielmus Boiorũ princeps Maximiliani proauus, Socios vocat in Boicã.

rumque

rumque Germaniæ cum Belgis populorũ magnã labẽ acceperant. Liberas ciuitates maximam partẽ eadem pestis occuparat. Austria laborabat, Boica nutabat, & iã anceps hærebat in quam se partẽ inclinaret. Quod, vt dixi, cùm Guilielmi pietas sentiret, amans suæ gentis & salutis publicæ, per Leonardum Eckium, virum eloquentia & sapientia præpollentẽ, eo nomine Romam missum, petiuit à summo Pontifice & Ignatio auxiliares copias, quibus hostium vim à suis defenderet. Missi auxiliatũ Claudius Iaius, qui priore anno Ingolstadij literas sanctiores explicarat, Viennamq; abierat; Alphonsus Salmeron, & Canisius noster, qui (cùm ex Italia reuerteretur) ad supremum doctrinæ gradum admotus, Bononiæ Theologiæ Doctor proclamatus est. Guilielmus præsentes amicissimè complexus, omnes Ingolstadium ad sacrarum literarum doctrinã instau-

Canisius Theologiæ Doctor creatur. M. D. XIL IX.

instaurandam, hæreticorum prauitate concussam misit. vbi Salmeron D. Pauli epistolas, Claudius Dauidis Psalmos explicauit, Canisius Petri Lombardi sententias ad docendi rationem redactas illustrauit. Sed Alphonsus Salmeron in Italiam intra annũ reuocatus, Nicolaum Gaudanum habuit successorem. Claudius Viennam Austriæ iussus repetijt, vir omnium existimatione sanctus, qui Tergestinum Põtificatum sibi delatum ingenti animo repudiauit. Ingolstadij non diu moratus diuturnã imò sempiternã sui memoriã animis hominũ infixit. recognoscamus Academiæ Ingolstadianæ tabulam inter monumẽta annaliũ seruatã de Claudio ita loquentẽ: *Claudium Iayum Allobrogem fuisse, & doctorẽ ac Professorẽ, & de Societate* IESV *testatur monumentum, quod illi in Schola sua posuere Theologi, quorũ testimoniũ tanti apud me est, vt omnibus actis, & scriptis*

Defecerãt à fide Io. Peffendorfer, *vt an.* CIↃ. IↃ. XXV. *tabula Academ. demõstr.* Balth. Hiebmaier *Pacimõtanus* CIↃ. IↃ. XXIII. *Viennæ exustus* CIↃ. IↃXXVI. Gerion Seiler, & Philip. Appianus *etiã F. de his Rotmanus in Anal.*

Elo. Claudij Iaij.

Ex Annal publ. Acade. Ingolsta.

ptis

ptis antefer.am. Placidissimorum perhibetur morum fuisse, vt qui non solùm eruditione excelluerit, sed & pietate, & cum pietate doctrinã, & cum doctrina parem coniunxerit pietatẽ; atque adeo, vt si quisquam alius in nostra Academia, certè ille cùm apud infimos mediosque, tum etiam summos & prudẽtissimos, certam quasi sanctitatis opinionẽ sibi compararit. Hunc nos suprà laudauimus optima Canisio præcepta docẽdi viuẽdique præscribẽtẽ, vt hoc minus mirere, quâ viâ Canisius profecerit, & per quos ad virtutis culmẽ prouectus sit, cùm eiusmodi virtutis duces secutus est. Quod porrò ipse Canisius, Ingolstadij dũ sacras in Academia literas tractaret, populũ pro cõcione doceret, supremũ Academiæ magistratũ, Rector nouo more gereret, encomiũ promeruerit, loquantur ipsa Academię Ingolstadianæ monumẽta, inquibus prętera alia hęc lego:
Sed ad propositũ & incõparabilẽ virũ Pe-

Petrũ Canisiũ diuerto, cui tam ẽ Encomiasticum minimè polliceor, sed id tantũ præstiturũ, vt cũ ab obliuione apud posteros vindicẽ, & is qualẽcunque inter Theologos possit habere locũ. Dicam quod sẽtio: Vir est diuini propemodũ ingenij & eruditionis incõparabilis, Philosophus eximius, quod illi penè cũ omnibus patribus de Societate cõmune est, Theologus profũdus & lectionis infinitæ, quod cũ plurimis & quod illi neque omnino cũ multis, neq; omnino paucis est cõmune, Orator valde eloquẽs, Ecclesiastes pariter grauis & iucundus. Et rursũ: *In eo denique pietatis & eruditionis, vitæque integritatis, omnisque virtutũ genere, quæ in eiusmodi virũ cadere solent, quæ Ecclesiasticos ornant & commendant illustre statuimus exemplum. Restituit ipse cum collegis suis Academiam loco suo & dignitati, cũ post Eckium lumẽ Academiæ & Germaniæ solẽ, magnũ adijsset discrimẽ religionis, & ingẽs detrimẽtũ post nefariã quorũdã in*

Aca-

Academia defectionẽ accepisset. Hoc tamẽ citra veterũ doctorũ atq; etiã ipsius Domini Eccij, Theologi & doctißimi, & in disputãdo religionẽq; propugnãdo, felicißimi & fortißimi Hectoris, iniuriã facilè affirmarim, lõgè & elegãtius, politiusq; & cõpẽdiosius nunc penè omnes tradi doceriq; literas, quã apud maiores nostros fieri est solitũ. Id quod ego sæculi potius illius barbariei. quæ in omnes sciẽtias vim suã exercuit, quã ipsis Doctoribus, quos acutè, subtiliter & doctè scripsisse & disputasse cõstat, tribuo.

QVID VIENNÆ PROMOVERIT.

CIↃ.IↃ LI.

CAPVT VI.

CAnisius re benè gestâ Ingolstadij, vocatu Ferdinandi Imper. cum Nicolao Gaudano inde profectus Viennam properauit, vbi cœpta à Claudio Iaio & Lanoio Collegij Viennensis fundamenta absoluit, Ferdinando Cæsari pro concione Euangelium exposuit; Et cùm non

absque vitæ discrimine regiam peteret, armatâ manu in aulam deduci Ferdinandus Canisiũ imperauit. In Academia sacra diuinæ legis mysteria interpretatus est, in quibus adeò copiosè Cæsari satis fecit, vt propter conceptã de Canisio non inanẽ sanctimoniæ venerationẽ, Antisti Viennensi extincto, nõ alium illo digniorem, quem sufficeret, iudicaret. Quare per legatum apud summũ Pontificem omni ope contendit, vti Canisiũ vellet, juberet Viennæ Pontificem esse: non esse ea tempestate commodiorem, nec ijs temporibus opportuniorem, qui improborum hominum omnia contra fidem Romanam molientium conatibus voce, calamo, & virtutũ studio possit obniti. Qua de re luculentum in vita Ignatij testimonium Ribadeneira dicit: *Anno*, inquit, M.D.LIII. *Ferdinãdus Romanor. Rex, Petrum Canisium virũ modestiæ atq. sapientiæ laude in nostra Societa-*

 te præ-

te præstantem, acremq́; fidei Catholicæ aduersus hæreticos defensorem optauit creari Episcopum Viennensem. Videbat enim cùm in ipsa ciuitate Vienna, tum per vniuersam Austriam hæreseωn pestẽ impunè grassari: & pastore sanctissimo atque vigilante opus esse, qui à Christi grege luporũ passim sæuientiũ rabiem arceret. Cũ igitur à Põtifice Iulio III. hoc Ferdinandus Rex summis precibus contenderet, Pontifex rem totã ad Ignatium reiecit, vt si ille probaret, quod Rex petebat, id ipse concederet. Negauit Ignatius id ex vsu ac commodo Societatis fieri posse. Adhibitæ sũt omnes machinæ ad expugnãdũ illius animũ, sed frustra: mãsit enim sẽper in sẽtẽtia, nec se ab illa vllis rationib⁹ deduci passus est.

Eiusdem Ferdinandi imperio Rudimẽta doctrinæ Christianæ Canisius conscripsit, & in lucẽ, sine sui nominis, quod modestiæ causa fecerat, ambitione, auctoritate tamẽ Cæsaris euulgauit (summam doctrinæ Christianæ

ſtianæ dixit) quæ res mirè oculos ad-
uerſariorũ torſit, & multo grauius a-
nimos vulnerauit, cũ ſuas errorũ te-
chnas, & ſtrophas impietatis, quibus
ſimplici ætati populoq; illudere con-
ſuêrant, aperiri & in lucẽ prolatas ri-
deri damnariq; ſenſerunt. Proinde o-
mnes certatim velut ad vnã eandẽq;
metam collineare, & impetũ in ſalu-
berrimũ Caniſij doctrinæ Catholicæ
cõpendiũ facere, ac omni vi cõuel-
lere conari, vti Cæſaris impulſu coa-
ctus fuerit Caniſius opus ſuũ augere,
& teſtimoniis patrũ fulcire, & pro pri
ma ætate ex ipſa epitome epitomen
cõcinnare, nomẽq; ſuũ Catechiſmo
præfigere. Quod ipſe Caniſius epiſto-
la ſuæ catecheſi pręfixa lectoriq; in-
ſcripta teſtatur. Sed multo illuſtrius
& amplius eſt ipſius Ferdinãdi Cęſaris
edictũ, Viẽnæ anno priore pro huius
libri auctoritate, & ipſo Caniſio, &
Catholicæ pietatis ſtudio propoſitũ,
quod huiuſmodi Hendeca-ſyllabus
commendat. C 2 *Vis*

Vis cognoscere, Christiane lector,
Quid sincera fides tua exigat, vel
Optet? hunc legito vsq; & vsq; librum,
Quem nunc Rex tibi Ferdinandus ipse
Laudauit, tibi quo foret vel ista
Consultum ratione, ne perires.
Quod si verius ipse vis probare,
Edictum poteris videre Regis.

EDICTVM CÆSAREÆ MAIESTATIS.

FErdinandus diuina fauente clemẽtia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Infãs Hispaniarũ, Archidux Austriæ, Dux Burgũdiæ, &c. Marchio Morauiæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Vniuersis & singulis fidelibus nostris, tã Ecclesiasticis quã Sæcularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Marschalcis, Prouinciarum præsidibus, Vicedominis, Præfectis, Burggrauiis, Officia-

ficialib⁹, Iudicibus, Burgimagiſtris, Cō-ſulibus, & Cōmunitatibus omnibusque aliis & ſingulis ſubditis, & fidelibus noſtris Prouinciarū noſtrarū, cuiuſcū-q; gradus, ſtatus, ordinis, conditionis, & dignitatis extiterint gratiā noſtrā Cæſaream & omne bonum. Magno cū animi noſtri mœrore perpendimus & videmus, quibus hodie quantisq; motibus & periculis orbis Chriſtianus vndiq; concutiatur. potiſsimū verò miſerādus ille ſtatus neglectæ adeoq; cōtētæ paſsim religionis ſæpe multūq; nos & pios omnes decruciat: Qua quidē religione, vt nihil eſt ſanctius in terris, ita præclarius ac firmius Reipub. ornamentū, ac robur eſſe nullum poteſt. Atq; idcirco malarum artiū nefarius Artifex ſanctæ Eccleſiæ bonorumq́ue omniū hoſtis atrociſsimus Sathan, quātum humano generi præſidii in vera religione poſitum ſit, minimè ignarus, annis ab hinc multis cauſā religionis paſsim oppugnat ac perturbat, ita vt maioribus viribus & copiis,

 frequen-

frequẽtioribusq́ dolis & fraudibus, vno eodẽq́ tempore ipsam antea nunquã oppugnasse videatur. Nec desinit adhuc satellites quosdã & ministros suos, qui editis suis libellis omnia impietatis studia foueant, disseminent, ac propagent subornare: partim, vt qui à religione orthodoxa semel defecêre, in erroribus & sectis, quibus se addixerũt, confirmẽtur; partim, vt qui etiamnũ in tutissimis Ecclesiæ Dei castris perdurant, hinc seducti factionũ discipuli, & religionis nostræ Catholicæ desertores fiant. Inter hos autẽ libellos, quorũ ingens vbique prouentus est, nõ parum viriũ ad religionem euertendã habent Catechismi (sic enim appellant) qui sæpè tũ breuitatis, tum verborum elegantiæ, & methodi specie cõmendati egregiè fallunt, & imperitã illam nobilemq́ iuuentutẽ veritatis synceritati natã, grauiter vitiant, atque corrumpunt. Dum enim ex istorum libellorum lectione, venenũ ipsa dulcedine blandum, simplicibus & incautis

cautis sumendum præbetur, priusquam id sentiant eorum animi nouis & pestiferis opinionibus, quas euellere posteà sit difficillimum, deprauantur. Vnde fit, vt eo doctrinæ fermento semel infecti, Catholicæ fidei, & sanctæ matris Ecclesiæ dogmata, & instituta venerāda negligant, fastidiant, atq; nonnunquā etiam per cōtemptum oppugnent. Qua quidem in re, si quid consiliis, monitis, iussis, & edictis publicis Imperatore & Principe Christiano dignis profici potuit; Nos profectò, cū ad ista impietatis studia profligāda, tū ad sacrosanctæ religionis nostræ Catholicæ iura retinēda, officio nostro minimè defuimus. Attamē grassatur indies magis ac magis hæc fæda lues, nouiq; subinde ac nouis illecebris infecti prodeūt Catechismi: spargūtur, legūtur, proponūtur in Scholis, maiore sanè periculo, quā simplices pueri & creduli, improuidiq; adolescētes, imperitiq; homines, & pleriq; omnes istiusmodi præceptores sētire aut iudicare

Studiū Ferdinandi Imperatoris in tuēda religione Catholica.

queāt. Quod igitur in graui morbo boni medici, in exorta tēpestate fidi naucleri faciunt, à nobis alienum nō esse existimauimus, vt præsentissima nobisq; ob oculos posita atque prospecta longè grauissima pericula ratione quadā aut depellamus omnino, aut saltem, quoad Deus potentē manum suā admouerit, mitigemus. Quamobrem matura super his deliberatione habita, fidelibus nobis subiectis populis saluberrimū fore duximus, si in tanta dogmatū & sectarum varietate, catechisticæ doctrinæ librū, qui Orthodoxus sit, cōscribi simul & fidelibus nostris populis euulgari, cōmendariq; vnicè curaremus. Ad quod Catholicū opus cōscribēdum, inter alios nō dubiæ fidei ac doctrinæ viros, honorabilē, religiosum, deuotū, nobis dilectū Petrum Canisiū sacræ Theologiæ Doctorē delegimus, & cum ab eo fuisset conscriptus, aliorum etiā, quos non solū sacrosanctæ Theologicæ sciētiæ, verū etiā vitæ innocentia & integritate perspi-

Imperator laudat Canisiū

cuos

*cuos eſſe conſtat, iudicio & cenſuræ ſub-
iecimus : quo certiores eſſemus, ne au-
ctoritate noſtra in lucẽ quicquã prodiret
quod Euãgelicæ doctrinæ & ſanctæ Ec-
cleſiæ Catholicæ vllo modo aduerſare-
tur. Poſteaquã Dei Opt. Max. gratia fa-
ctũ eſt, vt commemoratus liber, magno
vbiq; doctorũ & procerum quoq; Ca-
tholicorũ applauſu exceptus, in varias
etiã linguas cõuerſus, ſæpeq; apud exte-
ros recuſus, & in Gymnaſiis publicis ſi-
mul ad docendũ & diſcendum propoſi-
tus fuerit, exiſtimauimus, nos nõ abſre
facturos, ſi eundẽ Catechiſmum ab au-
ctore denuo recognitũ, non ſolũ rurſus
typis euulgari curaremus, verũ etiam
pro rudiorum captu in quoddã cõpendi-
um redigi iuberemus; ac fidelibus no-
ſtris populis denuo auctoritate noſtra cõ
mendaremus. Mandantes idcirco præ-
dictis omnibus & ſingulis, præcipuè ve-
rò iis, qui noſtro nomine & loco iuris &
Iuſtitiæ adminiſtrationẽ in prouinciis
noſtris exercent, & in magiſtratu con-*

 ſtituti

stituti sunt, vt hunc Catechismū, solū, nullumq́; aliū per Ludimagistros, Præceptores, ac Pædagogos pueris in Scholis publicè aut priuatim proponi, prælegi, edisceēdūq́; tradi magnoperè curetis, atq́; omnino efficiatis, quatenus cùm vos, tū ipsi grauissimā indignationē nostrā aliasq́; pœnas delinquētibus & huius edicti nostri contētoribus pro arbitrio nostro irrogādas volueritis euitare. Hæc enim est expressa mēs & volūtas nostra. Datū in Ciuitate nostra Vienna, die X. *Mēsis Decēbris, Anno Domini* M.D.LX. *Regnorū nostrorū Romani* XXX. *aliorū vero* XXXIIII. Maximus ex hoc Canisij libro fructus in omnē ferè orbē redundauit, in omnibus tēplis, Scholis, Gymnasijs, Academiis iuuentuti prælecto & tractato, vt omnium ferè gētiū linguis Canisius cœperit loqui, Germanica, inquam, & Sclauonica, Italica, Gallica, Hispanica, Polonica, Greca, Bohemica, Britannica, Scotica, Aethiopica, &(vtà domesticis dici)

Canisius omnium propè gentiū linguis per Catechesim suū loquutus.

dici) Indica & Iaponica, vt omnium propè gentiũ doctor Canisius potuerit, possitq́; hodie nõ immeritò appellari. Quatruplici forma & ratione idẽ labor prodiit: breuissimâ, pro minima pueritiæ ætate: iconibus etiã expressis, quibus per symbola & emblemata res, quę docẽtur, adũbrãtur; mediocri ad juuẽtutis Scholasticæ vsũ: & pleno volumine, quod doctiores ad stabilienda Romanæ Ecclesiæ decreta & vniuersam religionis nostræ institutionẽ adhibeãt. Fecit hæc fama Canisij, vt omniũ aures hæreticorũ grauiter feriret, à quibus Canis Austriacus dictitatus est, quod luporũ nẽpe immanitatẽ retunderet, & à Christi ouilibus feras omnibus lupis nocẽtiores procul arceret. Auctoritas porrò tãta viri erat, iã Prouinciæ ab Ignatio præfecti, vt illũ Societatis auctorẽ & cõditorẽ vulgò proclamarẽt, omnibusq́; modis conarẽtur innocentiã eius aliqua criminis infamia asperge-

Hæreticorũ scommata.

Canisius Societatus auctor creditus in Germania.

 re:

re. cumq; nihil esset, quod in moribus aut vita possent carpere, ad cõsuetũ mẽdaciorũ asylũ cõfugerũt. Sic enim impius Ecclesiæ, & summi illius Præsidis perduellis Ioãnes Wolfius I.C. in cẽtenario sexto mẽdaciorũ seu lectionũ memorab. ex Atheo Illyrico de nostro Canisio pudẽtissimè fabulatur.

Illyrici fabula de Canisio.

Iesuitarũ præcipuus auctor, aut certè instaurator & propagator Canisius est, de cuius sanctitate & castitate multæ præclaræ historiæ circũferuntur. Inter quas nõ postremũ locũ obtinet illa, quæ Moguntiæ anno 1557. cum Abbatissa cognomento Catella accidit: à qua cùm lauto hospitio exceptus esset, postquam poculis exhilarati sunt, ex cõmuni canis cognomine amicitia contracta caninas nuptias celebrarunt. Et fabula tunc in Wormatiensi colloquio fuit toto notissima cælo. Hæc supra omnes Mæonidas, Aesopos, Phœdros, fabulosus Illyricus, & mendax Wolfius, qui tamẽ verè fabulam ait fuisse; notam

tã fabulã inquã, non historiã, cum eo an. Canisius Moguntiam nunquã accesserit, & Viennæ Austriæ Imperat. Ferdinãdi Ecclesiastẽ egerit, scripseritque sacrã Catechesin. Accedit (vt ex Antistitarum Moguntinarũ, Parthenonum seu Virginũ sacrarũ syllabis cognoui) nullã vnquam Mogũtiæ in vllo cœnobio Abbatissam cognomine Catellã fuisse. Immò nec Moguntiæ Collegiũ Societatis IESV ullum fuit ea tempestate, primumque anno CIↃ.IↃ.LXI. institutũ est. Potuit fabula traxisse originẽ à quadã Hundia, ministra Cœnobij, quã subpriorissam vocant, quæ oblita suæ nobilitatis & religionis, cum vili ministro Cœnobij in pistrino nati clàm profugit, & Francofurti desertrix votorũ, & sacrilega sponsi cęlestis Christi proditrix, in hæresi infelicem animã exhalauit. Multo honestius & verius, quamuis non Romanæ religionis scriptor Henricus Pantaleon in

In hæreticos retorta

Proſopographia virorum Illuſtrium Germaniæ de eodẽ hoc elogiũ condidit: *Petrus Caniſius Nouiomagi apud Belgas natus & educatus anno circiter* M.D.XXIV. *Hic cùm felici ingenio eſſet præditus, operã literis dedit, atq; inprimis Theologico ſtudio incubuit. Id vt cõmodiùs præstaret, Ieſuitarũ Collegiũ ingreſſus, eum ordinẽ ſuſcepit.* Digreditur deinde in origines Societatis, & demum concludit. *Cũ ergo Petrus in Ieſuitarum ordine plurimum profeciſſet, primò Ingolſtadii Profeſſor, poſtea ab Othone Cardinale eius Ordinis fautore, Auguſtæ Vindelicorũ concionibus Præfectus fuit. Eam vocationẽ Petrus ſuſcepit, atque tanto Zelo adminiſtrauit, vt paſſim omnibus innoteſceret. Tãta enim facundia fuit, vt Ferdinando Cæſari & Põtifici Romano gratus & aliquoties ab iis vocatus fuerit. Ibi quoque etiamnum in auctoritate exiſtẽs à Germanis & exteris nationibus agnoſcitur.* Anno poſt receptã per Chri-

Verum aduerſarij de Caniſio elogium.

Natus eſt an. 1521. *non* 24.

Christũ salute CIϽ.IϽ.LV. B. Ignatius per literas Canisio in mãdatis dedit, vti se cum Farnesio Legato Pontif. M. ad comitia à Ferdinando Rege, Ratisbonã indicta coniungeret, omnémque operam suam illi offerret, præstaretq;. Nam Carolus Q. M. omnibus imperiis se vltrò abdicarat, & filio Philippo regnis omnibus hæreditariis Hispaniarum, & quæ ad earum ditionem pertinent, cesserat. Ferdinando Rom. regi germano fratri literis ad regulos Germaniæ datis, imperium cõmendarat. Canisius prȩsto fuit omnibus, sed funera principum conuentus morabantur. Interim Canisius prouinciam curauit.

Ex literis B. Ignatij à Theodoro Busæo ad me missis.

PRAGAM SOCIORVM COLONIAM DEDVCIT: WORMATIAM A FERDINANDO Cæsare ad Colloquium mittitur.

CAPVT VII.

FErdinandus Romanorum Rex animaduersa Canisij doctrina, religione,

gione, vita, morumq; integritate, ex illo de Sociis existimans, quorũ virtutem in Viennensis Collegij felici & salutari Reipub. progressu perspexerat, putauit se Bohemorũ etiam saluti consulturũ, si Pragæ Collegium cõderet, vbi mores populi emendarẽt, Hussitarum & Wicleffitarũ, aliorumq; hæreticorũ furorẽ retunderẽt; sic enim ex tabulis Collegij Pragensis à Theophilo Chrysteno rectore adme missis cognoui. *Cùm igitur* (inquit Hẽricus Blissemius, tertius eiusdẽ Collegij moderator) *Ferdinandus Bohemiæ Rex Anno Domini* 1555. *afflictißimũ Regni Bohemiæ statũ maxime quoad religionem Catholicam, vsq; quaq; ferè retroactis annis inde profligatam, diligentius perpenderet, cumq; reperiret esse eiusmodi, vt nisi breui adhiberẽtur opportuna remedia, de pietate Catholica plane actũ esset, induxit in animũ Pragæ Societatis* IESV *Collegium erigere, de qua re proinde nõ solùm*

lùm ad R.P. Ignatium de Loyola Societatis Generalem Præpositū, sed ad summum Pontificem etiam Iulium III. aliquoties & diligēter scripsit, vt aliquot Societatis viros in Bohemiā euocaret. Et quàm primùm iuxta piū animi sui desiderium P. Ignatii consensum obtinuit, Scholas disposuit, ac habitationes quasdam, quantum fieri potuit, in eo rerum principio, Societatis IESV *instituto accommodauit, præsente P. Canisio, qui mox musæum accersitis literarum doctoribus iuuentuti aperuit, ipse pro Cathedra populum ad pristinum virtutis cultum, hæreticos ad recognoscēdam veteris religionis veritatem inuitauit.* Versati sunt Socij primis annis ingēti cū vitæ discrimine Pragæ (quæ caput est Bohemiæ) & nisi publicis edictis vtriusque Ferdinādi, Patris inquam, Imp. & filij Archiducis, patri cognominis, Socijs seuerissimè cautū fuisset, vltimū haud dubiè periculum adijssent. Minati enim fuerant

fuerát se nostros de ponte precipites acturos: & verò insidias ponebant. Qua de re in annuis Collegij Pragēsis, Año M. D. LVI. IV. Cal. Sept. à Petro Siluio Romam perscriptis in hæc verba lego, ex quibus simul & primi Pragensis Contubernij incolæ, & Scholarum ratio cognoscentur: *Collegij nostri admoneo paucos esse vel nullos aduersarios, præter Lutheranos: qui nos timeant, esse plurimos; quippe qui per nos suæ sectæ auctoritatē minuendā præsagiunt. Iussit nobis indicari Præpositus arcis Pragensis, quosdā Lutheranos nobis moliri insidias, adeò vt nō clā fassi sint se vellenos, cū cōtingeret pontē transgredi, in flumē præcipitare, & statim aufugere: sed noctu foris nō versamur: interdiu verò negotia obedientiæ intrepidi obimus. Fuerūt & Doctori Hērico paratæ insidiæ, & Doctori Tilano alteri domi, alteri foris aliquando lapidibus Collegiū impetitur. Sunt qui & incendiū nobis minētur:* & quæ ibidem

Ex P. Petri Siluij literis, Anno M. D LVI.

dẽ ſequũtur. Subijcit deinde de Ferdinãdo Maximiliani Imperatoris germano: *Archidux Ferdinãdus, vt patris nomẽ ſortitus eſt, ita virtutem imitatur. Publicè per præcones proclamari iuſſit, ne quis huic Collegio vlli in re nocere auderet. Nũc profectus eſt Chiliarcha in Vngariã & à nobis vt ſenior coronã ita & ipſe Agnũ Dei accepit, quẽ ſecũ tulit. Vnice noſtris orationibus & ſacrificiis ſe cõmendãs. Qui etiã ſuggerẽte Patre Caniſio inſtituit, vt per totã Bohemiã innouaretur mos meridie pulſandi cõtra Christi hoſtes, ac pro Chriſtianæ religionis proſpero ſucceſſu, reuerẽter gratias agẽs Caniſio, qui tã honeſta petẽdo Principẽ Catholicũ officij ſui admoneret. Effectũ eſt apud eũ, vt probatæ fidei virũ concionatorẽ haberet in militia, & curaret diebus Veneris in tota Bohemia proceſſionẽ fieri, & miſſã de ſancta cruce cãtari, & moneri populũ de pœnitẽtia & pietate.* Addit Siluius judicium populi de Caniſio.

Patrem

Patrem nostrũ Prouincialẽ Canisiũ mirè hæ regiones Aquilonares venerantur, vt non solũ Catholici, sed etiã Hussitæ & alij hæretici imò & Iudæi illũ diligant: quamuis doleant malorũ artifices tam multa eius cõsilio in vniuerso Germaniæ statu fieri, (vt mihi à quibusdam indignantibus dictũest) omnia scilicet eius cõsilio fieri, &c. Maximũ de nobis rumorem spargi apud Germanos ac præsertim apud Marchionem Brandeburgensem & Ducẽ Saxoniæ retulit nobis D. Marschalcus (à regia Maiestate defensor nobis cõstitutus) vtinã omniũ expectationi satisfacere liceat.

Pericula quotidiana

Nostrum collegium in Ciuitatis meditullio situm est, loco saluberrimo. De persecutionibus breuiter & pauca perstrinxi: Fratres tam viuunt securi ex maximis periculis, quasi iã in paradiso agerent. Nec mirũ: cũ iam altero pede, nẽpè affectu ibi sint, & effectu esse sperẽt in dies assiduè domi, & extra domũ martyriũ expectantes; præsertim cũ ad

Nostri in summis periculis

Scho-

Scholas descēdūt, vbi probabiliter secū-dū humanā rationem, nunquā se redi-turos ad cubiculum, sed potiùs ad cæle-ste tabernaculū, sibi persuadere possunt. Hæc & his multò plura Silutius. Porrò Husitarum odiū in Canisiū quē maximè formidarunt, ostēdit monostichon, quod in illum jactarunt.

extra periculum.

Hinc procul esto canis: pro nobis excubat anser.

Cuius hic est intellectus. Allusum est ad historiam veterem & Virgilianum carmen, quo Gallorum ad Capitolium duce Brenno per noctis tenebras grassantium ab ansere, sopitis canibus, proditas insidias canit, simulq; in Dilogia nominū (*canis*) & (*anseris*) vis posita est: cùm per *canem* Canisium, per *anserem* infelicē Hussium sectæ suæ architectum vellent intelligi. *Huß* enim Bohemis anserē valet. Ne ergò per subitū populi aut improborum impetum Canisius opprimeretur, dum aulā Regis peteret, præsidio principis ducēdus ac redu-

Versus in Canisium. Huß, anser

cendus

Disputatio VVormatiensis. *Hunc annum Surius signat, alij* CIↃ IↃ.LV

cendus fuit. Cōſtitutis jam Collegij fundamentis, quāuis rebus in futurū tempus nondum ſatis compoſitis Caniſius ad Vangiones Wormatiā à Ferdinando Imperatore anno poſt Chriſtū natum CIↃ. IↃ. LVII. cum Nicolao Gaudano miſſus venit, vbi cum Melanchthone Matthia Flacco Illyrico, Melanchthonis mali corui malo ouo, Nicolao Ambſdorfio, Nicolao Gallo præcone Reginoburgico, & alijs octo dogmatum paradoxorum procuſoribus congreſſurus. Sed cùm hæretici inter ſe conuenire non poſſent, & Orthodoxorum conſenſum, vim dicendi, cauſſæ æquitatem ac eruditionem formidarent, alia atque alia cauſſati, ſe Wormatiâ ſubduxerunt, & hoc tantùm effecerunt, vti ſe ſcriptis poſtea & Theſibus ac hypotheſibus mutuò lacerarent, præſertim Ambſdorfius & Gallus ab alijs proſcripti. Qua de re plura Surius. Caniſio tum Princi-

CIↃ. IↃ LVII

pes

pes erant partes commiſſæ, vti Catholicorum nomine antagoniſtis, & calamo & ore reſponderet. Ad quod ipſe cum Louanienſibus magnæ auctoritatis viris ac Theologis acceſſerat. Sed, vti dixi, detrectantibus pugnam aduerſarijs, & inter ſe digladiantibus, nulla cum illis decernendi ratio iniri potuit.

Caniſius ad ſuæ Prouinciæ munus reuerſus Wormatiâ, Coloniã excurrit, & inde rogatu Epiſcopi Argẽtinam, Friburgumq; Briſgoiæ. Mox in Auſtriam ſe recepit, & Bohemiã, vt inchoata prioribus annis Collegij Pragenſis initia proſequeretur. Qua in re nec paucos menſes, nec paruos labores poſuit, & in ſumma ęde concionibus ad Cæſarem, populumque haud parũ promouit. Reperi in chartis Caniſij Epiſtolam ad Socios Pragenſes, in qua de initij Collegijs & liberalitate principum multa commemorat, quod ex ipſius literis diſcas.

AD

AD PRAGENSE COLLEGIVM SOCIETATIS IESV P. Canisij Epistola.

IN Iesu Christo saluete Patres, quot quot Pragæ coniuncti degitis, ac in posterũ degetis, eodẽ Societatis vinculo colligati, vt meo desiderio atque vocationi vestræ satis faciatis. Ac iusta quidẽ est ratio, vt vos moneã de bonitate diuina prædicãda, quâ mirabiliter effectum est, vt felicis memoriæ Cæsar Catholicus Ferdinandus, idemq; Bohemiæ Rex inclytus hanc vestri Collegij sedẽ posuerit, & per me indignũ voluerit ædificari. Precor eundẽ fontẽ bonorũ omniũ, vt quotquot istic agitis gratis animis agnoscatis, sæpeq; perpendatis istius accepti beneficij magnitudinẽ nullis verbis explicabilẽ. Etenim haud quaquã leuis res est regium fundare & conseruare Collegium in primaria Regni Bohemici vrbe, locoq; commodo & celebri, sumptibus non paruis extructum illo tempore quo Hussitarum, Lutheranorum,

norum aliarumq́ sectarum vires in Bohemia immaniter desæuierunt, nihilq́ minus quàm auitā pietatem & Romanam Ecclesiā approbare voluerūt. Peto igitur à vobis obnixè, fratres, vt siue viuā ego, siue moriar, diu autē viuere nō possum in hac senili imbecillitate; vos gratam & constantē patronorū & amicorum memoriam intimè conseruetis, & eorū maximè, quorum præsidio, fauore, & studio Collegium hoc vestrū præclarè inchoatum, & hucusq; defensum fuit, quidquid demum aduersarij molirentur, qui rerum vestrarum successibus multis modis inuidere & hostiliter obstrepere nō dubitarunt. Potissimùm verò Austriacæ domus ac familiæ Regiæ, quâ vix vlla hodie in Europa splendet illustrior, memoriā vobis ac posteris valdè cōmendatam habetote, vt-pote per quā summo Deo visum est, hāc exiguam Societatē nostram in Austriā & Bohemiam clementer inducere, & in ea humaniter sustentare, vt nouos in

Austriacæ familiæ in Societatē studia.

D messe

gione, vita, morumq; integritate, ex illo de Sociis existimans, quorũ virtutem in Viennensis Collegij felici & salutari Reipub. progressu perspexerat, putauit se Bohemorũ etiam saluti consulturũ, si Pragæ Collegium cõderet, vbi mores populi emendarẽt, Hussitarum & Wicleffitarũ, aliorumq; hæreticorũ furorẽ retunderẽt; sic enim ex tabulis Collegij Pragensis à Theophilo Chrysteno rectore ad me missis cognoui. *Cùm igitur* (inquit Hẽricus Blissemius, tertius eiusdẽ Collegij moderator) *Ferdinandus Bohemiæ Rex Anno Domini* 1555. *afflictissimũ Regni Bohemiæ statũ maxime quoad religionem Catholicam, vsq; quaq; ferè retroactis annis inde profligatam, diligentius perpenderet, cumq; reperiret esse eiusmodi, vt nisi breui adhiberẽtur opportuna remedia, de pietate Catholica plane actũ esset, induxit in animũ Pragæ Societatis* IESV *Collegium erigere, de qua re proinde nõ solum*

lùm ad R.P. Ignatium de Loyola Societatis Generalem Præpositū, sed ad summum Pontificem etiam Iulium III. aliquoties & diligēter scripsit, vt aliquot Societatis viros in Bohemiā euocaret. Et quàm primùm iuxta piū animi sui desiderium P. Ignatii consensum obtinuit, Scholas disposuit, ac habitationes quasdam, quantum fieri potuit, in eo rerum principio, Societatis IESV *instituto accommodauit, præsente P. Canisio, qui mox musæum accersitis literarum doctoribus iuuentuti aperuit, ipse pro Cathedra populum ad pristinum virtutis cultum, hæreticos ad recognoscēdam veteris religionis veritatem inuitauit.* Versati sunt Socij primis annis ingēti cū vitæ discrimine Pragæ (quæ caput est Bohemiæ) & nisi publicis edictis vtriusque Ferdinādi, Patris inquam, Imp. & filij Archiducis, patri cognominis, Socijs seuerissimè cautū fuisset, vltimū haud dubiè periculum adijssent. Minati enim fuerant

dē ſequūtur. Subijcit deinde de Ferdinādo Maximiliani Imperatoris germano: *Archidux Ferdinādus, vt patris nomē ſortitus eſt, ita virtutem imitatur. Publicè per præcones proclamari iuſsit, ne quis huic Collegio vlli in re nocere auderet. Nūc profectus eſt Chiliarcha in Vngariā & à nobis vt ſenior coronā ita & ipſe Agnū Dei accepit, quē ſecū tulit. Vnice noſtris orationibus & ſacrificiis ſe cōmendās. Qui etiā ſuggerēte Patre Caniſio inſtituit, vt per totā Bohemiā innouaretur mos meridie pulſandi cōtra Christi hoſtes, ac pro Chriſtianæ religionis proſpero ſucceſſu, reuerēter gratias agēs Caniſio, qui tā honeſta petēdo Principē Catholicū officij ſui admoneret. Effectū eſt apud eū, vt probatæ fidei virū concionatorē haberet in militia, & curaret diebus Veneris in tota Bohemia proceſsionē fieri, & miſſā de ſancta cruce cātari, & moueri populū de pœnitētia & pietate.* Addit Siluius judicium populi de Caniſio.

Patrem

Patrem nostrũ Prouincialẽ Canisiũ mirè hæ regiones Aquilonares venerantur, vt non solũ Catholici, sed etiã Hussitæ & alij hæretici imò & Iudæi illũ diligant: quamuis doleant malorũ artifices tam multa eius cõsilio in vniuerso Germaniæ statu fieri, (vt mihi à quibusdam indignantibus dictũ est) omnia scilicet eius cõsilio fieri, &c. Maximũ de nobis rumorem spargi apud Germanos ac præsertim apud Marchionem Brandeburgensem & Ducẽ Saxoniæ retulit nobis D. Marschalcus (à regia Maiestate defensor nobis cõstitutus) vtinã omniũ expectationi satisfacere liceat.

Pericula quotidiana

Nostrum collegium in Ciuitatis medi tullio situm est, loco saluberrimo. De persecutionibus breuiter & pauca perstrinxi: Fratres tam viuunt securi ex maximis periculis, quasi iã in paradiso agerent. Nec mirũ: cũ iam altero pede, nẽpè affectu ibi sint, & effectu esse sperẽt in dies assiduè domi, & extra domũ martyriũ expectantes; præsertim cũ ad

Nostri in summis periculis

Scho-

Scholas descẽdũt, vbi probabiliter secũ-dũ humanã rationem, nunquã se redi-turos ad cubiculum, sed potiùs ad cæle-ste tabernaculũ, sibi persuadere possunt. Hæc & his multò plura Silluius. Por-rò Hussitarum odiũ in Canisiũ quẽ maximè formidarunt, ostẽdit mono-stichon, quod in illum jactarunt.

extra periculum.

Hinc procul esto canis: pro nobis excubat anser.

Cuius hic est intellectus. Allusum est ad historiam veterem & Virgilia-num carmen, quo Gallorum ad Ca-pitolium duce Brenno per noctis te-nebras grassantium ab ansere, sopitis canibus, proditas insidias canit, si-mulq; in Dilogia nominũ (*canis*) & (*anseris*) vis posita est: cùm per *canem* Canisium, per *anserem* infelicẽ Hus-sium sectæ suæ architectum vellent intelligi. *Huß* enim Bohemis anserẽ valet. Ne ergò per subitũ populi aut improborum impetum Canisius op-primeretur, dum aulã Regis peteret, præsidio principis ducẽdus ac redu-

Versus in Canisium. Huß, anser

cendus

Disputatio VVormatiensis. cendus fuit. Cõſtitutis jam Collegij fundamentis, quãuis rebus in futurũ tempus nondum ſatis compoſitis Caniſius ad Vangiones Wormatiã à Ferdinando Imperatore anno poſt Chriſtũ natum CIↃ. IↃ. LVII. cum *Hunc annum Surius ſignat, alij* CIↃ IↃ. LV Nicolao Gaudano miſſus venit, vbi cum Melanchthone Matthia Flacco Illyrico, Melanchthonis mali corui malo ouo, Nicolao Ambſdorfio, Nicolao Gallo præcone Reginoburgico, & alijs octo dogmatum paradoxorum procuſoribus congreſſurus. Sed cùm hæretici inter ſe conuenire non poſſent, & Orthodoxorum conſenſum, vim dicendi, cauſſæ æquitatem ac eruditionem formidarent, alia atque alia cauſſati, ſe Wormatiâ ſubduxerunt, & hoc tantùm effecerunt, vti ſe ſcriptis poſtea & Theſibus ac hypotheſibus mutuò lacerarent, præſertim Ambſdorfius & Gallus ab alijs proſcripti. Qua de re plura Surius. Caniſio tum Princi- CIↃ. IↃ LVII

pes

pes erant partes commissæ, vti Catholicorum nomine antagonistis, & calamo & ore responderet. Ad quod ipse cum Louaniensibus magnæ auctoritatis viris ac Theologis accesserat. Sed, vti dixi, detrectantibus pugnam aduersarijs, & inter se digladiantibus, nulla cum illis decernendi ratio iniri potuit.

Canisius ad suæ Prouinciæ munus reuersus Wormatiâ, Coloniã excurrit, & inde rogatu Episcopi Argẽtinam, Friburgumq; Brisgoiæ. Mox in Austriam se recepit, & Bohemiã, vt inchoata prioribus annis Collegij Pragensis initia prosequeretur. Qua in re nec paucos menses, nec paruos labores posuit, & in summa ęde concionibus ad Cæsarem, populumque haud parũ promouit. Reperi in chartis Canisij Epistolam ad Socios Pragenses, in qua de initij Collegijs & liberalitate principum multa commemorat, quod ex ipsius literis discas.

AD

AD PRAGENSE COLLEGIVM SOCIETATIS IESV P. CAnisij Epistola.

IN Iesu Christo saluete Patres, quot quot Pragæ coniuncti degitis, ac in posterũ degetis, eodẽ Societatis vinculo colligati, vt meo desiderio atque vocationi vestræ satisfaciatis. Ac iusta quidẽ est ratio, vt vos moneã de bonitate diuina prædicãda, quâ mirabiliter effectum est, vt felicis memoriæ Cæsar Catholicus Ferdinandus, idemq; Bohemiæ Rex inclytus hanc vestri Collegij sedẽ posuerit, & per me indignũ voluerit ædificari. Precor eundẽ fontẽ bonorũ omniũ, vt quotquot istic agitis gratis animis agnoscatis, sæpeq; perpendatis istius accepti beneficij magnitudinẽ nullis verbis explicabilẽ. Etenim haud quaquã leuis res est regium fundare & conseruare Collegium in primaria Regni Bohemici vrbe, locoq; commodo & celebri, sumptibus non paruis extructum illo tempore quo Hussitarum, Lutheranorum,

norum aliarumq́; sectarum vires in Bohemia immaniter desæuierunt, nihilq́; minus quàm auitā pietatem & Romanam Ecclesiā approbare voluerūt. Peto igitur à vobis obnixè, fratres, vt siue viuā ego, siue moriar, diu autē viuere nō possum in hac senili imbecillitate; vos gratam & constantē patronorū & amicorum memoriam intimè conseruetis, & eorū maximè, quorum præsidio, fauore, & studio Collegium hoc vestrū præclarè inchoatum, & hucusq; defensum fuit, quidquid demum aduersarij molirentur, qui rerum vestrarum successibus multis modis inuidere & hostiliter obstrepere nō dubitarunt. Potissimùm verò Austriacæ domus ac familiæ Regiæ, quâ vix vlla hodie in Europa splendet illustrior, memoriā vobis ac posteris valdè cōmendatam habetote, vtpote per quā summo Deo visum est, hāc exiguam Societatē nostram in Austriā & Bohemiam clementer inducere, & in ea humaniter sustentare, vt nouos in

Austriacæ familiæ in Societatē studia.

D *messe*

messe amplissima operarios exhiberemus quum noxia Zizania electū triticū passim suffocarent. Benè sit Austriacis fundatoribus, quorum excellenti pietati ac perpetuæ munificētiæ tam multa debemus. Æternùm Christo viuāt omnes, qui suis cōsiliis ac subsidiis hoc vestrūnō obscurū seminarium instituere, prouehere, atq; confirmare difficillimo tempore dignati sunt, ac dignantur etiamnum. Quamobrē nō minus gratitudinis illis vos decet rependere, qui omni sunt exceptione maiores ex cælo patroni & amici, fidisq; suffragiis res vestras stare hactenus atq; durare certissimū habeo. Quare gratiosa & frequens apud vos memoria vigeat diui Alberti, primi apud Bohemos, Apostoli, diui Wenceslai Principis ac Martyris, diui Clementis patroni vestri Apostolici, diui Sigismūdi Regis Burgundici, ac aliorum quoq; Sanctorū, quorū nomina & merita, vt sanè iustū est, in Pragēsi Ecclesia, tot sæculis celebrātur, & quorū efficaci intercessione*

* *Adelberti.*

ceßione multa vobis veſtrisq; conatibus
diuinæ gratiæ munera, mihi credite, ſub
inde cõmunicãtur. Poſtremò etiã atq; e-
tiã rogo, vt quotquot apud D. Clemẽtẽ
habitatis, vocationis veſtræ memores
concreditam vobis vineam Bohemicam
magni faciatis, veſtrãq; meſſem illuſtri
loco Pragæ ſitã indefeſſo ſtudio pergatis
excolere, Chriſto auxiliãte. Vita ſit vo-
bis irreprehẽſibilis, in qua præclarũ lu-
ceat ſpecimẽ ſanctæ paupertatis, perpe-
tuæ cõtinẽtiæ, obediẽtiæq; religioſæ. pe-
culiariter autem patientiã & charita-
tẽ veſtrã non Catholici modo, ſed etiam
Catholicorũ hoſtes, falſiq; fratres reipſa
cõperiant, nomẽ IESV videlicet per vos
magis magisq; glorificari. Etenim non
ſolũ ad docendũ & cõcionandũ, ſed etiã
ad crucem ferendã, & ad bene merendũ
de omnibus, vos iſtuc vocatos ac miſ-
ſos eſſe, nunquam non meminiſſe debe-
tis. Vigeat igitur in omnibus ille, quem
Pater noſter Ignatius inprimis po-
ſtulat, vigeat inquam Zelus feruens

animarum, quo præditi, ea quæ Christi sunt, syncerìs procuretis animis in hoc diligenter intenti, vt oues errãtes ouili suo, veroq; pastori quoad eius fieri potest, in agro Bohemico. Amen, Amen. Seniorem Canisium, qui primum Collegij nostri lapidem iecit in Christi nomine, veštris & sacrificijs, & precibus Domino commendetis, quæso.

DE COLLEGII INGOLSTADIANI INITIIS.

Capvt VIII.

EXpositũ est suprà, quibus modis Guilielmus Boiorum Princeps, Maximiliani hodie rerum in Boica potentis proauus, ab Ignatio felice Societatis parente socios impetrarit, & Ingolstadium ad cælestes illic literas tradendas amandarit. Vix illic patres docẽdi initium fecerant, suæque vitæ, morum ac doctrinæ documenta præclara darę cœperant, cùm Guilielmus Anno Christi, CIↃ.IↃ.L. vita

vita & principatu per mortẽ exutus, hæredem ex ſe patriæ reliquit Albertum qui patris optimè cœpta perſequi non omiſit. Sed vt Sociis domiciliũ Ingolſtadij collocaret, ab ipſo B. Ignatio per Epiſtolã & Legatum patres flagitauit, cui religiosè & perofficiosè in hæc verba (iuuat enim ſacti viri ſyllabas, nuſquã alibi viſas, adnumerare) Ignatius reſpondit.

SERENISSIME PRINCEPS, ET DOMINE MIHI IN CHRIſto obſeruandiſſime;

Epiſtola B.P. Ignatij ad Guilielmũ Ducem Boiorũ

SVmma gratia & æternus amor Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſerenitatẽ veſtram vberrimis donorum ſuorũ ſpiritualium exornet augmentis. Singulatq́; nobis redditæ fuerunt, Sereniſſime Princeps, veſtræ Serenitatis literæ, quibus pro ſua benignitate in noſtro ponit arbitrio, vt vel ante feruẽtiores huius æſtatis calores, vel elapſis canicularibus, ante hyemis initiũ promiſſũ

Collegium Ingolstadiũ ablegem. Inito cũ fratribus meis consilio statim eos mittendos censui. Gratius enim id Serenitati vestræ, & ad maiorẽ Dei gloriã fore, multis rationibus colligẽtes, postponendã æstus iã satis infesti incõmoditatẽ duximus. Et vt statim ad profectionẽ se accingerẽt & summi Põtificis benedictionẽ post pedũ oscula acciperẽt, & iter ingrederẽtur, curaui. Bonus valde odor ex hac profectione in Alma vrbe sparsus est, vt referet magnificus D. Hẽricus Schvvicker Secretarius Serenitatis vestræ, cui paulò latius de ea re scribo; & (quod maioris momẽti est) fructũ nõ minorẽ, ex nouo hoc Collegio, velut ex semine prouenturũ spero. Quãuis enim ministri debiles sint, & eorũ satis tenues vires, diuina tamẽ potẽtia & virtus (vnde nostra quãtulacunq; sufficiẽtia est) vt eis desideriũ dat, industriã, laborẽ, & vitã ipsã impẽdẽdi pro sua gloria & animarũ salute, ita & gratia sua imbecillitatẽ ipsorũ corroborabit & supplebit.

plebit. Præter Rectorẽ M. Thomã Theologũ, duo alii sacræ Theologiæ Doctores, & eiusdẽ Professores futuri: sunt & alij qui emẽso artiũ curriculo, & Magisterij gradũ in eis cõsecuti, Theologiæ dare operam cœperãt, alii humaniores literas & Græcas, & si opus fuerit, etiã Hebraicas profitebuntur. Alij scholastici sunt, qui cũ progressum in literis maiorẽ fecerint, cõmuni bono se vtiles præstabũt. Magna ex parte ex superiori Germania vel inferiori & omnes in fidei Catholicæ Zelo, & religiosis virtutibus nobis probati sũt. Eos ergò offero vestræ Serenitatis obsequiis, ad Dei gloriã, eo animo, quo me ipsũ, si licet per valetudinẽ, & officii mei necessarias occupationes, offerrẽ. Eis iniunxi vt quæ in articulis cõtinẽtur, & multò plura pro virili parte licet sine obligatione) præstare curẽt. Et mihi persuadeo quod vestra Serenitas, & ipsius serenissimi successores Collegiũ suũ omni benignitate, gratia, & fauore, vt scribit tuebũtur & fouebũt, quã

diu illi Reipub. se vtiles exhibebunt: quam vtilitatem non solũ non cessaturam esse, sed pro more nostræ Societ. in dies magis magisq; augẽdã spero. Quod D. Canisius initiis Collegij Ingolstadiensis intersit, bona cum venia Sereniss. Romanor. Regis pergratum nobis fuit; & eidem iã scripsi vt primo quoq; tẽpore Ingolstadiũ se se cõferat, & vt solicitus de iis cogitet, quæ ad promouendũ nouũ Collegiũ pertinent. Præpositũ Prouincialem nostræ Societatis in Germania superiori, Bohemia & Austria eum cõstituo. Aliud nõ addã nisi quod me & Societatẽ nostram vniuersam vt deditissimã vestræ Serenitati offero in Domino nostro Iesu Christo, ac precor sũmã ipsius bonitatẽ, vt omnibus gratiam suã vberẽ ad recognoscendã & complẽdã voluntatem suã sanctissimã dignetur largiri. Romæ IX. *Iunij* M.D.LVI.

Vestræ Serenitatis

Humilis seruus in Domino

Ignatius Loyola.

Hæc

Hæc cygnæa vox B. Parentis noſtri paulò ante funus eiuſdem eſt edita (nam altero menſe, pridie Cal. Auguſti ad Societatē cœlitū felix abiit) meritò poſteritatis memoria ſempiterna cōſignanda. Scripſit pridie eius diei, octauo inquam Iulij, ad Henricum Schvvickerum, qui Sereniſſimo Alberto fuit à ſecretis, quam ipſam quoq; Epiſtolam judicaui in publicas literas mittendam, vti fideli memoria cuſtodiretur.

MAGNIFICE DOMINE
MIHI IN CHRISTO
obſeruandiſſime, &c.

SVmma gratia & æternus amor Domini noſtri Ieſu Chriſti perpetuo omnes auxilio & fauore nos perſequatur, Amen.

Quamuis literis Dominationis veſtræ x. Martij ad nos datis nihil tunc reſpōdere potui propter aduerſam valetudinē meā, & quod parū id videba-

 tur

*tur necessariū, ūm illæ nostris respon-
derent; curaui tamen, vt literæ Sere-
nissimi Principis summo Pontifici per
vnū ex nostris fratribus (quē libenter
videre solet) redderentur. Sed quia eas
non legit corā eo, nihil prætereafuit,
quod rescriberemus; quamuis suo loco &
tēpore, vt par erat de tā religioso Prin-
cipe ac Catholicæ religionis forti propu-
gnatore, quod sentiebamus locuti fueri-
mus. Inter alias autē causas cur prope-
rauimus Collegiū Ingolstadiū mittere,
ante feruorē æstatis, illa etiā fuit, vt si-
nister quidā rumor, qui post Augustanā
Diætā in vrbe cœpit increbescere, ac su-
spiciones nō vulgariū hominū contra-
rio veritatis experimento statim sopi-
rentur. Qui enim cōgregationis nostræ
homines euocari, Collegiumq́; cōstitui
eis à Serenissimo Principe audiūt, quā-
tum à scopo aberrauerint, cū nescio quæ
prius suspicarentur, & dictitarent, fa-
cilè intelligunt. Curaui ergo Collegium
ipsum ad summum Pontificem deduci,
vt*

vt dũ eius sanctitati pedes osculãtur & benedictionẽ Apostolicã accipiunt, duo ex nostris qui eos deducebãt, multa eius beatitudini dixerint de sanctis desideriis Serenissimi Principis Bauariæ in propugnanda Catholica religione: Vnde & seminariũ perpetuũ ministrorũ qui sedi Apostolicæ fideles essent, Ingolstadij cõstituere decreuerat. Quæ omnia pergrata fuisse summo Pontifici visa sunt, & multa de iis qui mittebãtur percontatus, & multis eosdẽ adhortationibus dimittẽs eis viaticũ dari iussit. Sed cũ respondissent nostri, nullo alio viatico, quã benedictione suæ sanctitatis opus esse, eo quod Serenissimus Dux de viatico pecunias tã liberaliter prouidisset, multũ lætitiæ & ædificationis accepisse simul cũ circumstantibus est visus. Deducti sunt exinde ad aliquos ex primoribus Cardinalibus salutãdos, & peruulgata satis est Ingolstadiensis Collegij deductio, cum suaui audientium odore & gloria Dei. Non est quod addam

 præte-

præterea, nisi quod nouum Collegium Charitati vestræ & humanitati commẽdo, ac precor diuinam ac summã bonitatem, vt omnibus gratiam suã affluenter communicet, vt sanctissimam ipsius voluntatem intelligere & perfectè eandem exequi valeamus. Romæ VIII. *Iunii*. M.D. LVI. Ab his tam paruis initiis cœpit Ingolstadiana domus; jam in tantum numerũ aucta, vti totius Prouinciæ caput sit, & supra centũ X X. ibidem alantur, qui literas humanas ac diuinas partim docent, partim discunt.

A.C. CIↃ.IↃ LVIII

ROMAM AD CREANDVM GENERALEM, proficiscitur, inde in Poloniam, Germaniam, & Augustam Vindelicorum.

CAPVT IX.

Tertiò Romã petit iã præses Prouinciæ.

ANNO sexto & quinquagesimo supra CIↃ.IↃ. pridie Cal. Sextiles, Ignatio nostræ gentis conditore,

re, in Cælum ad præmia laborũ euocato, citatis semel iterumq. Romam Patribus, & creato Societatis præside Iacobo Layne, Canisius post primos decẽ Patres inter primos est designatus, qui pro auctoritate cæteros omnes solemni oratione ad officium ritè suſficiendi Generalis hortaretur. Tanta omnium de illius cùm eloquentia, tum virtute erat existimatio. Secundum Comitia Patrum, à Paulo Pontifice Maxi. cũ internuntio Pontificio jussus Poloniam adijt, & Cracouiæ sacrum Ecclesiæ ordinẽ latina oratione ad officium pietatis & Religionis inflammauit: Anno octauo & quinquagesimo supra ɔ1ɔ. 1ɔ. Carolus V. Maximus, abiectis dudum Imperij curis, & in Ferdinandũ declinatis, ad sempiterni regni præmia capessenda è vita abiit; cui Ferdinandus vti fratri & Imperatori, Imperator jam ipse, Augustæ Vindelicorum, indicto Principum Germa-

niæ conuentu, iusta funebria iusto regioq; cultu persoluit. Non defuit & hic Canisij præsentis opera, quam Deo in æde Mariana principe ciuitatis templo consecrauit, quod pridie Cal. Martias Ioannes Faber olim à Canisio ornamentis Doctorũ Theologicis Ingolstadij inauguratus è S. Dominici disciplina, postea Ecclesiastes, ad cæleste præmium operæ vocatus, sedẽ vacuam reliquisset. Cardinali Othoni maximo Principi, amplissimo Antistiti Augustano, huius facti memoria sempiterna debetur, qui impulsu maximè Christophori Freybergij Canonici Augustani, ac postea Decurionis, demũq; Præsulis Elvvacensis, primus Canisium, hoc est Societatis illustre decus in vrbẽ deduxit, victumq; & tectum præbuit, quoad domicilium Societati conderetur. Graue tamẽ hoc cõcionandi munus ordinarium Canisio accidit, quod Sociorum per omnem Bohemi-

A. C. CIƆ. IƆ. LIX.

Canisius Augustanã Ecclesiastæ Cathedrã procurat.

hemiam, Auſtriam, Boicam, præfe-
ctus, in varias partes animum diui-
dere, ſæpeq; etiam adire coram præ-
ſensq; viſere cogeretur. Imperio ta-
men Laynis vniuerſæ Societatis mo-
deratoris, non per paucos annos hoc
onus exantlauit, & verò ampliſſi-
mos laborum fructus tulit. Primum
Auguſtæ lamentabilem Catholicæ
Religionis faciē cōtemplatus, omni
ope cœpit eniti, vt non ſolùm erro-
res prauorum dogmatum pro ſua vi-
rili extirparet, ſed emendandis mo-
rum corruptelis etiam ſuccurreret.
omnia enim peſtis hæreſeos pro mo-
re ſuo cōfuderat. Itaq; viros aliquot
nobiles, & matronas illuſtres permo-
uit, vt damnato Luthero ſacram Ec-
cleſiæ veteris doctrinam toto pecto-
re complecterentur. Quemadmodū
ipſe de felici progreſſu laborū ſuorū
hiſce verbis ad Marc. Velſerū Marci
Duum-viri patruum Antuerpiā per-
ſcribit: *Neque minores debemus eidem*
bono-

Caniſij litera ad M.

Velserū cælibē iam calitem. *bonorum auctori gratias, qui hoc sacro Paschatis tempore multorū in pietate progressus, & ad Ecclesiam Catholicam regressus ostendit, vt hinc multi sanè admirētur Augustæ. Cōfirmet DEVS Op. Max. quod præclarè cœpit in hac ampla messe, quæ nobis & piis omnibus magnā adfert cōsolationem.* Fuit inter hos grauissima iuxta & nobilissima fæmina Sibylla Ebersteinia illustri comitum stirpe oriunda, quā Marcus Fuggerus Antonij F. duxerat, & nullis nec ipse vel votis vel precibus, nec pater argumentis ad suas partes trahere poterant. Nec ad colloquium vnquam Canisium, cuius fama solicitabatur, admisit, quoad illam Canisij species per quietem diuinitus oblata hortaretur, vt ad Catholicorum castra transiret, quæ viri aspectu perculsa, cœpit velle calculum vertere, & cū eo postridie de salutari Catholicorum doctrina conferre. Accersito cum socio Ca-

Sibylla Fuggera Lutherum dānat.

Miraculum Canisii

nisio

niſio primùm accidit, vt ſocius P. Wendelinus in eius conſpectū veniret, & illa mox ab nocturna, quam viderat, oris figura, negauit illum eſſe, quem vidiſſet. Vbi dein alter cum D. Marco marito eſt ingreſſus; mox, *hic eſt*, inquit, *quē per ſomnum aſpexi*, Inſtituta ergo Catholicis fidei elementis, & rationum momētis accuratiſſimè in vtramq; partē perpenſis, poſtremò manus dedit, & tota mente Deum ſecuta, ad magnam virtutis laudem profecit. Hoc potiſſimùm ſibi gratulata, quod oblatum olim à viro & ſocero aurum repudiaſſet, ne Chriſtum ac fidem vendidiſſe diceretur, aut ſe occultus aliquis ſtimulus vrgeret de permutata religione. Nunc ſe adeò libero & ſecuro animo eſſe, vt ne ſuſpicio aut cogitatio vlla pecuniæ acceptæ mentem pulſet: ex qua re ſingularem caperet voluptatem, vehementerq; in ſuſcepta Catholica doctrina confirmaretur. Verùm

rùm vti ex huius nobilissimæ matronæ studio ac pietate Catholici omnes lætitiã perceperũt, ita generis humani hostis, & natio tota Lutheri mirificè doluit, tantam è faucibus prædam sibi ereptam esse. Nouerat enim huius vnius fæminæ exemplo totam synagogam suam concussum ac violatum iri. Itaq; per omnia conciliabula sua, cætusq; ac conuentus preces indicere, votaque impia soluere, quo pietatem religiosissimæ matronæ impedirent. Sed illa simul ac se nostris partibus adiunxit, neque sermones hominum curare, neq; conuitia in nostros iacta attendere, neq; omninò quærere, quid grex hæreticorum mussaret: quin ritu nostro peccata per omnes menses expiare, Eucharistiam frequenter sumere, Sacerdotem à confessionibus parentis loco habere, colere, eique ad nutum monenti docentique obtemperare, sacram vestem suis partim manibus

nibus ad tegendum & ornandum ſanctũ Chriſti Corpus, in hierotheca ſeruatum confecit: magnis partim ſumptibus comparatam eſt largita. ædem ſacram ornamentis plurimis, donisq́ue ampliſsimis illuſtrauit. Diſciplinam domeſticam grauem, pudicam, & honeſtam ſanxit; ſanctamq́ue conſtanter obſeruauit, ætatem puellarem ancillarum ad omnem innocentiam ſingulari cura inſtituit, ſtatas horas precationibus, certas lanæ & lino, alijs occupationibus deſtinauit: ſuis copiis egentium inopiam ſubleuauit: in victum & amictum ſtudioſorum tenuiorum quadraginta aureos quotannis impendit, quas ob virtutes Marcus illam non charam modo habuit, ſed venerandam colendamq́ue cenſuit. Tantam ſibi opinionem exiſtimationemq́ue ſanctitatis aſſiduâ pietate apud maritum peperit. Cùm eadem poſtea anno

no CIↃ. IↃ. LXXXIX. vitæ metam flectere pararet, accerſito P. Ioanne Volckio animi medico, petiuit carnis veſcendæ copiam, jam ante à ſummo Pontifice per literas factam; cùm rogaretur quamobrem id faceret, cùm ſibi id licere per Pontificem haud ignoraret? *propter hoſce*, inquit, *libros meos, vt meminerint olim auctoritatem S. Matris Eccleſiæ reuereri.* Deinde quicquid habuit auri & argẽti, id omne in vſus miſerorũ expendi pręcepit. & deſcripſerat per loculos nomina pauperum, ſingulisq́ue ſuam ſportulam aſſignarat, pupillis (inquam) & orbis, ægris & familijs egentioribus. Et cùm longa, annoſaq́ue & moleſta podagra vexaretur, omnibusq́; membris capta geſtaretur, eos omnes artuum cruciatus ingenti animo patientiſſimè tulit, ac demum anno Chriſti CIↃ. IↃ. LXXXIX. Septembri menſe, poſita mortalitate per patientiã ad immortalem

talem vitã aſpirauit. Caniſius interim alios quoq; viros, fæminasq; nobiles concionibus & priuatis diſputationibus permouit, vt impia Lutheri dogmata execrarentur. Idem poſtea Vrſulam Georgij Fuggeri, Raimundo Antonij fratre nati, Cõiugem ita rerum cæleſtium amore inflammauit, vti non ipſa ſibi tantũ conſuleret, ſed alios viros fæminasq; illuſtres ad ſtudium virtutis incitaret. Sic enim de illa in chartis Collegij Auguſtani obſeruatum lego: *Vrſula verò exemplum æui, talia de ſe documenta pietatis præbebat, vt omnes facilè quibuscũ familiariùs agebat, ad imitationem pudoris & virtutis inflãmaret. Ipſa Marci & Ioannis Coniuges nobiliſſimas, clariſſimasq; fœminas ad ſalutarem & frequentẽ conſcientiæ & peccatorum expiationem induxit: ipſa matres familias ad mẽſam adhibuit, vt occaſio noſtris præſentibus de rebus diuinis ac cæleſtibus colloquendi offeretur:*

Vrſula Fuggera.

retur : Ipsa religionis caussa marito iã ad meliorem vitam euocato, Romã profecta martyrum cineres osculata, domũq; reuersa à morte Coniugis, in paternas remigrauit possessiones, nata in agro Tyrolensi Bolzani, ex illustri Liechtenbergerorũ familia summa prudẽtia, singulari modestia pudicitiaque fœmina, quæ prima ferè Augustæ languentẽ iacentemq; pietatẽ in aliis, Canisij cõcionibus permota, excitauit. Constat eã ad extremũ vsq; spiritũ in pietatis & virtutis studio constantiã coluisse, rebusq; mortalibus vsam tantùm, non abusam fuisse. Hæc annales Augustani. Harum incensa pietas, & fructus publicus concionum ac confessionum fecit, vt illustris familia Fuggerorum, Societatem omni studio complecteretur, & Antonius Fuggerus gentis tum caput, Romam ad Laynem Societatis Præfectum literas daret, qua sibi de Collegio cogitanti ratio nostræ Sodalitatis exponeretur. Otho etiam

etiam Cardinalis idemq; præsul Augustanus, Sociorum numerum aucto stipendio frequentauit, vt essent qui pietatis Catholicæ rudimenta iuuentuti explicarent.

COLLEGIVM MONACENSE INSTITVITUR.

CAPVT X.

ALbertus Boiorum princeps & columen Germaniæ, is, quem suprà laudauimus, cùm Ingolstadiani Collegij felices progressus cerneret, & fructus longè lateque non in Academicos tantùm, sed populum vniuersum promanãtes audiret, videretq;, ratus Monachio, quæ regia, est Boiorum, æquè opus esse operâ Societatis, adijt per literas Societatis caput, petijtque, vt Monachium quoq; Catholicæ doctrinæ magistri, & virtutis doctores mitterentur. Canisius

nisius ergo XII. Cal. Decembris, qui dies Virgini Deo in templo consecratæ sanctus est, iussu Laynis decem misit, qui sedem in Boica principem occuparent, vnde Lutheranorum & luporum rabiem arcerēt. Quæ res cessit adeò feliciter, vti nunquam nos laboris, alios fructus pœnitere possit. Nam adeò pietas Ciuitatis, populique Monacensis intra primum annum exarsit, vti decem primi Socij priore anno huc missi accurrenti ad sacra augustaque Christi mysteria, multitudini nullo modo possent satisfacere. Quod Serenissimus Albertus animaduertens, datis ad Laynem litteris Româ suppetias euocauit. Iuuat ipsius Principis Epistolam Augustæ in Collegij tabulario repertam subijcere.

ALBER-

ALBERTVS DEI GRATIA COMES PALATINVS RHENI, vtriusq; Bauariæ Dux, &c. Admodũ R.P. IACOBO LAYNES, Societatis IESV Pręposito Generali

SALVTEM AC PERPETVAM CLEMENTIAE AC beneuolentię nostrę promptitudinem.

SAtis, vt arbitramur, ex iis nostris literis, quas pro mittẽdis huc Societatis vestræ viris probatis, ante annũ ferè ad te dedimus, cõstat quid de vniuersa instituti vestri ratione nobis persuadeamus, quantumq́, labenti Christianæ Reipub. cõmodi exinde vnicè polliceamur. Nec sanè spes nos ista fefellit vnquã. Illi enim ipsi de Societ. vestra nuperiùs ad nos missi, ita se primo statim aditu cõposuerunt, vt & vitæ sanctimoniâ, & in docẽdo mira feliciq; alacritate, cæteros suos fratres Collegas Ingolstadienses laudabili quadã, & Ecclesiæ

Catholicæ vtilissima æmulatione vincere velle viderentur. At nunc iactis bono omine fundamentis, publicis concionibus, & priuatis etiam adhortationibus rem fortius tentant: quassatos vineæ Domini muros ita sine intermissione reficiunt, vt furiosus ille aper non modò egregiè abouibus prohibeatur, sed spes etiam sit, tribules illos, & Zizania erui, extraq; muros eijci, & puriorē inde vineam conseruari haud difficulter posse. Ex quibus seminariis renascentis primitiuæ Ecclesiæ faciem contueri iam iam incredibili gaudio gestimus. Quis enim nisi communi totius ferè Christiani Orbis graui morbo infectus, nō ex animo lætetur, insanā hæreticorū pertinaciā summa eruditione, innocentiq; ue vita tuorū tandē infringi? Verè igitur & meritò tibi gratulamur taliū filiorū parenti, in quibus reuiuiscentis religionis, extirpandarumq; hæresiū vna firmissima spes cōstitit. Cæterū in hac nostra lætitia vnū est, quo vehemēter afficimur

cimur. Cũ enim verè credentiũ ſubinde augeſcens numerus id efficiat, vt prater quotidianos in Schola docendi labores, plurimũ ſit in tẽplis quoq; declamando, offerẽdo, & infinitas piorum cõfeſsiones audiendo, parumq; cõfirmatos fideliter informãdo deſudandũ, valde veremur, ne pauci iſti tui operarij tãto oneri diũnõ ſint ferẽdo. Rogamus igitur clemẽti ſtudio (quẽadmodum etiã ſuperioribus noſtris literis à te contendimus) vt occupatiſsimorũ, & ſub põdere iſto collabẽtium filiorũ miſertus, plures in hanc copioſiſsimam meſſem, primo quoq; tẽpore emittas: qui cum illis, qui iam hîc ſunt, integrum Collegiũ conſtituant. Qui nos de omnibus rebus neceſſariis ita prouidebimus, vt & noſtrum in Venerabilem iſtã Societatẽ veſtram amorẽ planè iterũ teſtemur, & ſacroſancta Catholica religio domiciliũ apud nos perpetuũ habere poſsit. Viaticũ illis, quos nũc ex tuo Contubernio expectamus, ad Doctoris Caniſii conſiliũ benignè largiemur. Ex

Monàchio nostro. Quinto Calēdas Iulij, Anno Saluatoris nati M.D.LX. Cognouiſti, lector, optimi Principis & germani patris patriæ ſtudium erga ſubiectos, quos non ſolùm ciuilibus florere ornamentis voluit, ſed omnino cæleſtibus augere bonis, ipſiq; Cælo trāſcribere conatus eſt. didiciſti, quo ſtudio pietatis in Deum Dei populus flagrarit, quod non ſolùm hodie in illo nō refrixit, ſed incaluit magis, in dies q; magis ac magis inardeſcit. Scripſit de huius Collegij felicibus auſpiciis à ſe datis ipſe Caniſius, extremis vitæ annis, in Epiſtola ad Socios Monacenſes, quā libet adſcribere, quòd eius Collegij initia planiùs exponat, & de felici eius progreſſu quaſi vaticinium quoddam contineat.

(o)

CANISIVS AD COLLEGIVM MONACENSE.

QVoties anniuersarius dies recurrit, quem præsentatæ in templo Virgini Matri dicauit Ecclesia, equidē non possum vestri Collegii, Fratres, nō meminisse; quod eodē die per summi Dei gratiam feliciter est inchoatum. Mihi sanè iucundū est meminisse, quod illis initijs atq; primitiis adfuerim corā, præsente tunc etiā Patre Nicolao Lanoio primo Rectore, cuius venerandi senis gratiosā charamq; memoriam multis nominibus retinere debetis. Nec sine voluptate cogitato huic Collegio inde ab initio fauisse, multumq; studuisse Illustrissimum Principē, qui tūc florebat, Dominū Albertū, eiusq; Cācellarium insignem Dominum, Dominū Simeonem Thadæum Eckiū, Ioannis Theologi germanū. Per hos ambos, & maximè per D. Suicardū Guilielmo IV. ab intimis secretis, Societati addictissimum factū est, vt primi Col-

Nicolaus Lanoius primus Rector Collegij Monacensis.

Simon Thadæus Eckius vir laudatissimus ad quem Pij V. Pont. M. literæ extāt an. CIƆ IƆ. LXVII.

mi Collegæ ac veluti columnæ ad hoc erigendum opus in Vrbe Romana expeterentur, ac velut prima domus huius fundamēta suo loco posita publicè appareret. Proinde summo Deo gratias immortales ago, & à vobis itidem haberi par est, cuius egregio spiritu idē Princeps afflatus, hoc suum & vestrū Collegiū paternè complectens, haud modicis sumptibus, & variis collatis beneficiis illud sibi curæ esse monstrauit. Semel igitur ac iterū nouas construxit classes siue Scholas, in quibus ampla studiosorū turba cum in literis bonis tū in vera pietate per nostros institueretur. Curauit insuper apud D. Augustinū nostrorū institui cōciones & sacramēta per illos populo administrari, vt Societatis nostræ muni i Monachiensibus familiaria redderētur. Multū profectò debetis laudatissimo Duci Seniori Guilielmo, qui è nostris Theologos tres Ingolstadiū ex Vrbe primùm accitos clemēter excepit, Plus debetis optimo eius filio & lectissimo, quem

Guilielmus IV.

quē dixi Principi Alberto, vtriusq; Collegii nostri, Ingolstadiēsis & Monachiēsis egregio fundatori. Plurimū verò simul debetis eiusdē Domini Alberti spectatiss. mo filio, & paternæ pietatis simulq; liberalitatis hæredi, eximioq; Mæcenati nostro, Dño Gulielmo iuniori, qui in rebus vestris augēdis & ornādis tot annis tā multa tētauit atq; perfecit, vt cōplures nō admirētur modo, verū etiā ingēti eiusdē erga nos munificētia offēdi quodāmodo videātur; quādoquidem nec suspiciunt, nec agnoscunt, quod sit ingeniū, quæ vis Christianæ charitatis in optimo Principe, quātūq; valeat Zelus ardēs domus Dei in illis, qui Cōstātinos, Theodosios, Carolos, Henricos, & similes Heroes alios ex animo æmulantur. Sed enim his relictis, quæ persequi odiosū est magis quā frugiferū, nostri profectò est muneris propriū, charißimi fratres, vt hos præstantes Catholicorum Principum animos, & coniuncta simul rerum sacrarum studia, raraúue

Albertus V.

Gulielmus V.

beneficia ex Dei ſpiritu, & amore profe-cta, perſæpè in mentẽ reuocemus, bono-rũq́ omnium fontem Deũ in illis & eo-rũ inclyta famili a prædicemus, tum no-ſtra vota & ſtudia eò ſtrenuè diriga-mus, vt ſanctis illorũ deſideriis magis magisq́ ſatisfaciamus, ac in primis, vt quacunq́ ratione poſſumus, de Bauarica meſſe excolenda domi ac foris bene me-reamur. Siquidẽ qui tãtos heroes, nobis adeò clementes ac propitios experimur, modis omnibus procurare debemus, vt in officiis noſtris ac ſpiritualibus rebus in ipſorũ agro ſeminãdis nullũ aut modũ aut finẽ faciamus. Ego certè, vt hoc o-biter addã clemẽtiſſimo Deo gratias ago qui me, ante inchoatum veſtrum Colle-giũ, indignũ precãtem ſingulari conſo-latione perfudit, & gratiosè promiſit, rerũ noſtrarum ſucceſſum fore felicem. Hunc exitus poſtea cõprobauit. Dictus princeps Albertus viua voce ſimul & ſcripto teſtatus eſt, cũ affirmaret Socie-tatem IESV in Bauaria ſua ad fidem

Deus felicem ſucceſ-sũ Col-legii

Catholicã restaurandam ac promouendam plurimũ contulisse. Norunt & alij sapiẽtes, publiceq́ fatentur, post nostrorum aduentum, Diuinum cultũ in Bauaria passim reflorescere, Ecclesiastica Sacramenta sæpius ac religiosius excitari, religionẽ nouam obsolescere, veterẽ verò magis magisq́ confirmari: Pœnitentiæ & charitatis opera studiosius coli, maiorem bonorũ studiorum curam in Scholis haberi rectiusq́ passim iuuẽtutem Bauaricã in fide & pietate Catholica prouehi. Hæc ego citra vllã arrogantiã scripta sic dici & accipi velim, soli vt Deo & veritati suus constet locus, & gloria debita tribuatur, vtq́ magis fidũ aliorũ probatorum hominũ testimoniũ cõprobetur. Benedictus bonorũ author Deus, quod ego senex, iamq́ inter nostros omnes senior factus, nõ modo videam, sed quodammodo gustẽ præsentes dulcesque fructus, vestrarũ manuum, quos quotannis ex Monachiensi horto collectos depromitis, & compluri-

Monacensis Canisio promittit.

bus fidelibus verè salutares esse mõstratus. Cõfirmet in vobis, quod cœpit Princeps benefactorũ Christus, ac propriũ Societatis nostræ spiritũ in visceribus vestris augeat, vt nõ vestrã quidẽ vtilitatẽ, sed cõmunem Bauarorũ salutem, ac profectũ animarũ, præsertim in Clero populoq́; Monachiẽsi promouere pergatis. Quanto autem clementiores ac munificẽtiores erga vos habetis Principes, tãtò maiorẽ illorũ meritis, eorũq́; præclaræ ditioni gratitudinẽ per vos exhiberi congruit, ita vt Bauarorum animis in fide & virtute prouehendis nihil anteponatis, diuinæ gloriæ propagandæ sedulò inseruientes. Charitatis legem auream Christus vobis eximiè commendauit, sed & Paulus frequenter inculcauit: hanc ipsam Monachij, & in reliqua Bauaria sic porrò excolite, vt iuuante Deo multorum animas magis magisque lucri faciatis, ac simul oues errantes ad suum reducatis ouile. De me hoc vnũ reticere non possum, & valdè

valdè vobis commendatum cupio, vt quamdiu nouum Collegium ac templũ D. Michaeli ſacrum durabit, Senioris Caniſii veſtri nõ obliuiſcamini, talemque primum ſiue fabrum, ſiue architectum veſtris ſacrificiis & precibus Domino commendetis. Ipſi laus & gloria ſempiterna. Hæc Caniſius. Quid diceret idem, ſi coram ſpectaret hodie, quæ nos oculis quotidie vſurpamus? tam auguſtum in Ciuitate templum, cui neſcio, vtrum in omni orbe par habeat Societas noſtra; tam frequentem populi concionem; tot millia ad pedes ſacerdotum peccata gementium accidentes; tam amplum & regium Collegium, tam nobile Muséum, quod à mille admodum aut ſuprà auditoribus frequentatur? Gratularetur Deo tam vberes laborum fructus, & vero iam hoc ipſo nomine præſens apud Superos cum familiæ noſtræ capite Ignatio, nu-

Templum S. Michaelis Archangeli.

minis celebrat benignitatem. Hanc sementem primo & altero ab aduẽtu suo anno Canisius intra breue tẽpus fecit, quæ in tam lætã postea segetem excreuit, vt amplioribus templorum spatiis fuerit opus: quæ tamẽ ipsa quamuis ampla sæpè frequentiã nõ capiunt. Anno proximo, qui fuit à Christo nato CIↃ.IↃ.LX. altera Colonia Oenipontem est ab eodem Canisio deducta, vti mox infrà ponetur.

Oenopons olim Oenobriga regia Tyrolis

COLLEGII OENIPONTANI INITIA; AVGVSTÆ RES SOCIORVM.

Capvt XI.

Quinq; regiæ Virgines Ferdinandi Imperat. cõmendantur Canisio filia.

NVmquam sterilis est virtus, pręsertim cum eruditionis laude coniuncta. Ferdinandus Imperator, cognitâ iam Sociorum industriâ, vbiq; suorũ saluti cõsulturus, quinq; regias virgines ex se natas Oeniponte educari curabat. His à Canisio formatores animarũ flagitauit, nec libe-

liberis duntaxat ſuis, ſed oppido toti, & genti ſalutē allaturus Caniſium euocauit, vt locū Collegio deſignādo circūſpiceret; velle ſe etiam Tyrolenſibus, ne quid detrimenti caperent, imò plurimum adiumenti prouidere. Caniſius ad Cæſarem ſubitò aduolauit, quòd noſſet occaſionem fronte capillatam, niſi mox prenderetur, facilè elabi. Cum Cæſare de Sociorū domicilio tractat: ſumptus annui aſſignantur: domus curatur. Reginę à cunabulis religioſiſſimè eductæ, & ad cultum animi, vitæq́ue innocentiam natæ, vbi ſemel ſuam conſcientiæ fidem Caniſio commiſerunt, nunquam à Societate deſciuêre, de quibus infrà copioſius erit dicendum; niſi fortè ſingulari volumine illarum virtus depingenda ſit. Scripſit de his & Oenipontanæ ſedis exordiis, progreſſuq́ue Caniſius ipſe Epiſtolam ad verbum à me ſubſcriptam.

AD COLLEGIVM OENIPONTANVM.

POstremas ad vos daturus, Charissimi Fratres à Prophetico illo dicto ordiar. Nō nobis Domine, nō nobis, sed nomini tuo da gloriā. Hoc enim nomē fortis & inexpugnabilis arx est, loquor autē de singulari beneficio vobis diuinitus præstito, quādo Catholicus perpetuò princeps & valde laudatus, Ferdinādus Austriacus nō modo Viennēse & Pragēse, sed vestrū etiā Oeniponti Collegiū pro sua singulari pietate fundauit, construxit, atq; ditauit. Ad eā rem conficiendā, ego licet indignus, non nihil cōtuli cùm eius dē Cæsaris essem aliquādo Concionator: sed & Coadiutor meus & Collega fuit R. P. Nicolaus Lanoius qui mecū ad locum Collegij deligendū atq; constituendū istuc profectus est. Quod institutum sanè multū auxerunt illustres Reginæ prædicti Cæsaris filiæ, quæ tū Oeniponti magna cum pietatis, pudicitiæ & virtutis

Nicolaus Lanoius primus Collegij Oenipontani Rector.

tutis

tutis laude florebant. Nec solùm suo parenti, sed & germano fratri Archiduci Ferdinãdi animos addiderunt, vt cœptũ hoc opus, quod bonis concionatoribus nõ caruit magis magisque stabiliretur. Æternũ Christo viuãt Margareta, Helena, & Magdalena sorores simul & Reginæ ex voto virgines pudicißimæ nostroq; sæculo rarißimæ Principes, quarũ beneficentiæ non Halense modo sed vestrum quoque Collegium permultũ sanè debet. Proinde vestram admoneo Charitatem, vt bene precemini huic eximiæ, regiæque Austriacorum familiæ, quæ domũ vobis non modicis sumptibus ædificauit, & hortum commodum adiunxit, nihilque deesse sustinuit, quod ad vtrumque Tyrolense Collegiũ & templum vobis promouendum conseruandumq; pertinet. Excolite porrò, vt cœpistis, messem Tyrolensem, ac in ea cum prospera Domini benedictione pergite laborare. Commendo vobis quoad poßi, debitæ gratitudinis officiũ, quod

non

nō solum supradictis fundatoribus Austriacis, verumetiā aliis quoque patronis & amicis, quos Christus nō paucos tribuit, sedulò & feliciter exhibere debeatis. Egregium vobis patet ostiū, ad multos nobiles & ignobiles, ad magnos & paruos vtriusq; sexus homines Christo lucrifaciēdos, atque in omni pietatis & virtutis studio, magis magisque cōfirmādos. Igitur paratā vobis messem, eāque vberē libēter amate & prouehite apud Tyrolenses, nec verbo solū, sed etiā exemplo ad maiora æmulāda charismata multorū informate animos, quēadmodū Christus dominus messis & Societatis nostræ institutū, iustaque amicorum expectatio s[a]ncta à vobis exigunt & deposcunt. Mihi verò iā emerito velut seni, ac inutili operario haud parū beneficij contuleritis, fratres, si Canisii vestri senioris memoriam vestris & sacrificiis & precibus, quæ vestra est in me beneuolētia, crebò interposueritis, illud, vt spero, procuraturi, vt viui & defun-

defuncti primi patris apud vos memoria non intermoriatur. Bene in Christo valete, Patres, fratresque charissimi, ac eam præclaræ vestræ vocationis rationem semper habete, vt professione pauperes, obedientiâ simplices, spiritu feruētes, & animarū Zelo flagrātes multos in Christo filios generetis ac nutriatis.

Canisius, antequam Oenipontem accederet, Viennæ Cæsarem conuenit; inde Pragam, Pragâ demum in Tyrolim profectus, quod ex literis ad Marcū Welserū Patricium Augustanū cælibem accepi, quē ideo suā Sunamitidem vocitabat Canisius, quòd sæpè ad illum diuerteret, & paratum ibidem, vt Helisæus apud Sunamitidem, cœnaculum & oratorium haberet. Interea temporis Augustæ nostri paulatim in cognitionem populi venire, aures præbere suas noxas accusantibus, Eucharistiā propinare, pueritiam præceptis Christianis informare, lites componere, ad ægros visere,

visere, aliaque Societatis munia dies noctesq; fungi, quæ mirificè bonos omnes nobis ad inuidiã etiã quorundã, qui se desertos quiritabantur, deuinxerũt. Nobilissimiquiq; ciues maximè Sociis studebãt, præsertim illustres Fuggerorum familiæ omnes, & patriciorũ Reipub. principũ, quos nõdũ impius Lutherus trãsuersos egerat, qui nihil magis in optatis habebãt, quã vt è vestigio Sociis templũ & domicilium, Auditoribus Museũ conderetur, quæ tamen res tam citò cõfici minimè potuit. Delectarũt hi labores Piũ IV. Pont. Max. Cui fructus operæ Canisij exposuit Cardinalis Otho, à quo incitatus Põtifex, his illi gratulatus ẽst, & simul ad cõtinuandos labores cohortatus.

Societatis vtilis opera Augustæ.

PIVS PP. IIII.

Literæ Pontificu ad Canisium.

*D*Ilecte fili, salutẽ & Apostolicã benedictionẽ Ad aures nostras dilecto filio nostro Othone Cardinale Augustano referente, peruenit; quo studio, qua dili-

diligētia, qua charitate des istic operā, vt quā plurimos eorū, qui hæreticorum fraudibus decepti, à recta religione aberrarūt, in salutis viā reducas: quātū etiā superna cooperāte gratia proficias. Magnæ nobis cōsolationi fuit tam optatus nuntius. Agimus omnipotenti gratias, qui pro sua misericordia tā multas iā, sicut audiuimus, per ministeriū prædicationis tuæ in Ecclesiā Catholicā reuocarit. Instafili, vt cœpisti, & enitere, vt quā maximū animarū lucrū facias. Vrge tam piā, tam sanctā negociationē. Noli defatigari in tā sancto opere sedulitatis tuæ ab eo, cui famularis, id præmiū laturus, quod bonis & fidelibus seruis suis promisit. Si quid verò à nobis desideras, quod conferre aliquid posse credas ad animarū salutē, libenti animo, quidquid postulaueris, concedemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die V. Martij M.D.LXI. *Pontificatus nostri Anno secundo.*

Antonius Florebellus Lauellinus.

ACA-

ACADEMIA DILINGANA CONDITVR.

Capvt XII.

OTho Cardinalis, ideq; Antistes Augustanus gregis sui, in quem circumquaque rabies luporum hęreticorum immanissimè grassabatur, vigilantissimus custos, vt haberet, qui se pro ouilibus Christi opponeret, anno Christi CIƆ. IƆ. XLIX. contubernium iuuenum, qui ad ordinem Ecclesiasticum adspirabant, Dilingę instituit, quibus Magistrum Petrum Endauianum præfecit, doctoresque sacrarum literarum accersiuit, qui Cardinalis clientes ad bonas artes, & sacram Theologiæ disciplinam informarent. Fuit inter primos Petrus de Soto ex Hispania ad Carolum V. (cuius cōscientiam tractabat) profectus è S. Dominici familia, vir ingenio

nio & literis clarus. Quod cũ Sueuorum nobilitas aduerteret, gratulata sibi, petiit ab Othone, vti suis quoq; liberis locum daret in domicilio alumnorum, quibus cum vnà possent literis erudiri. Quorum postulatis libens volens annuit Cardinalis, animumq; simul adiecit ad Academiam excitandam, eaq; de re literas ad Põtificem Maximũ, & Carolum V. atque Ferdinandum dedit, qui omnes & Cardinalis præclara cœpta laudauerunt, & iura sua atq; prærogatiuas studiosis literarum concesserunt.

Anno CIↃ.IↃ.LI. Petrus Sotus Collegã suum P. Iacobum, permittente magis, quàm iubente Cardinale, misit in Hispaniam ad delectum doctorum virorum è sua Sodalitate habẽdum, & Professores Dilingam adducendos, quòd speraret ab Othone conditum iri S. Dominico Cœnobium, cuius ditioni subijceret Academiam; sed res tota parum feliciter

Soto successit. Ex tribus enim illis Patribus ex Hispania profectis, duo in itinere diem suum obiêre. Genuæ alter, alter Oeniponte: tertius extremo anni mense Dilingam ingressus, ineunte sequentis, vitâ simul & Vrbe egressus cælum petijt. Impetratis Otho à summo Pontifice & Imperatore Academiæ condendæ iure & legibus, primum illico Rectorem illius ipso die sanctæ Trinitatis dixit Cornelium Harlemium Rosenthalum, quem ipse Otho ex Pontificis auctoritate Academicis honoribus ac titulis insigniuit. Año inde quinto supra CIↃ.IↃ.L. laureâ primâ studiosi Philosophiæ ornati sunt, eadẽq; extremo Magisterij suprema. Proximè secuto Muséi Academici fundamentum Otho posuit. Excitatum inde domiciliũ & Academiam tenuêre Doctores exteri vsq; ad annũ CIↃ.IↃ.LXIII. inter quos principes fuêre Petrus, vt dixi, Sotus; Martinus Olauius Theologus

Cornelius Harlemius primus Dilingæ Rector Academiæ.

Professores Dilingani ante Soc. aduentum.

Martinus Olauius.

logus Lutetianus, Carolo V. Imperatori à Sacellis, qui Societati postea nomen dedit, Martinus Rithouius Louaniensis Episcopus demùm apud Iprenses; Guilielmus Damasus Lindanus ex eadem Academia Louaniensi Dilingam profectus, atque inde ad Sicambros, vt Ruremundæ Episcopum apud Geldros ageret; Matthæus Galenus Westcapellus è Seelandia, tandem supremus Duaci professor; I. Bartholomæus Kleyndienst è S. Dominici Sodalitate; Cornelius Harlemius sacrarum literarum interpres. Magistri duo Adrianus Besenmerius Belga, & Kilianus Blanckenstanius. Sed cum amplissimus Cardinalis plura maioraq; animo concepisset, decreuit è Societate nostra Doctores euocare, quod vti mox exponam, ita factum est.

Martinus Rithouius. Guilielmus Damasus. Matthæus Galenus. Bartholomæus Kleindienst. Adrianus Besenmerius. Kilianus Blanckenstanius.

ACADEMIA DILINGANA SOCIETATI TOTA TRANSCRIBITVR.

CAPVT XIII.

ANno Christi CIƆ. IƆ. LXIII. Idem Otho Cardinalis, optimus Societatis patronus & singularis Canisij admirator, cognito iam ante deplorato suæ Prouinciæ statu, quam omni ex parte laborantem videbat, Academiam Dilingæ à fundamentis excitatam per Canisium Societati assignauit, cui Dilingæ Domicilium erexit, vti nobilissima Sueuiæ iuuentus ad honestos mores informaretur, optimisq; literarum disciplinis imbueretur, vnde & Magistratus idonei ad oppida regēda prodirent, & parœci atq; Ecclesiastę ad rem diuinam sanctè pieque administrandam educerētur. Ea enim rerū erat facies, vt intuēti lacrymas cieret

&

& intimo doloris ſenſu miſerantem percelleret, quod ex literis Stephani Liberij Anno Chriſti quarto & ſexageſimo poſt milleſimum quingenteſimum, ſecundùm Diœceſeos luſtrationem, datis cognoſci poteſt, quarũ hoc ferè caput eſt: Se per Cardinalẽ Othonem cum aliis duobus magnæ authoritatis viris ad obeundam Sueuiam deſignatum, veniſſe primùm ad Fridericum Comitem Oetinganum virum illuſtrem & vnicũ gemtis ſuæ præſidium (qui maximè vrſerat Cardinalem, vt rebus afflictis cõſultum iret) ab hoc, quo loco res diuinæ, religionis cultus, vitæ morumque diſciplina verſaretur, didiciſſe, & maximam ſe ad commiſerationẽ permotum, rebusq; adeò perditis & afflictis nõ immeritò impulſũ Cardinalem, vt Rhætis, Sueuis & Algois, quos ſuæ ditionis eſſe intelligebat, prouideret, & ſuppetias à creſcentis Societatis patribus flagitaret,

Ex literis Stephani Liberij.

Muséum nobilißimum conderet, le-
ctiſſimæ iuuentuti idoneos in omni
genere literarũ, quæ à religionis ſan-
ctitate non abhorrẽt, doctores præfi-
ceret. Quibus à Layneſio Societatis
præſide impetratis, & à Caniſio eò
deductis, nouale excolendũ commi-
ſit, ex quo tam vberes, ex Academia,
templo, & contubernio conuictorũ
fructus extitêre, vti neque nos labo-
ris, neq; iuuentutẽ docilitatis, neque
Pontificẽ vel Auguſtanũ, vel ipſum
Romanũ pœnitere debeat aut poſsit,
qui alendis hoc loci in ſpem Eccle-
ſiæ iuuenibus magnam anniuerſariæ
pecuniæ vim cõtulit, hodieq; cõfert,
vnde in totã Diœceſin & prouinciã
parœci, Eccleſiaſtæ, Doctores & Ma-
giſtri haud pauci proficiſcuntur.

Caniſius poſtquam Dilingam ve-
nit, & ad Academicos die S. Hiero-
nymo ſacro latinè dixit, ſecuti Cani-
ſium XIII. Kal. Nouemb. qui fuit vi-
geſimus Octobris, Profeſſores pri-
mùm

mùm XVI. mox quatuor, vt essent XX. quibus Hieronymus Natalis post lustratas Gallias & Germanias, ad victum, cultũ & locum necessaria præsens cum Canisio comparauit. Illi Dilingã ingressi pridie S. Vrsulæ sub vesperis, postridie cõparuêre omnes ad solenne sacrum. Proximo post D. Vrsulæ die ab omnibus Magistris, cunctis obstupescentibus, qui Socios vix de via respirasse putarant, initium docendi factum. Ex Doctoribus Societatis primus fuit Hieronymus Torrensis Hispanus, suis ipse laborum monumentis clarus, Collegij prorector Ioannes Couillonius, idemque latinus Ecclesiastes. Anno deinceps CIↃ.IↃ.LXIV. XVI. Kal. Septemb. Otho Cardinalis pręsentibus tribus Cœnobiarchis, rẽ diuinam ab initiatore Augustano iussit fieri, secundùm quam actæ sunt à Societatis professore, Cornelio Harlemio gratiæ, qui ad eum

vſque diem Academiam cum ſumma laude Rector adminiſtrarat. Viciſſim Harlemius plurimum ſe Cardinali debere profeſſus, à quo tot honoribus auctus, tot beneficiis eſſet cultus. Gratulari etiam ſibi, quòd magnis negociorum oneribus poſitis, & in Patres tranſlatis, poſſet aliquantulum reſpirare. Proinde ſe omnia honoris inſignia, epomidem, ſignum, ſceptrumq; ei reddere, à quo ea accepiſſet, quę ſimul Cardinalis Caniſio Sociorum præfecto, loco totius Societatis commiſit. Caniſius de Communi conſilio Henrico Dionyſio Theologo Societatis & Caniſij ex Sorore nepoti contulit, cui Cardinalis eum honorem cum fauſta imprecatione gratulatus eſt. Harlemius Academiæ gubernator pronũciatus. Sed Dionyſius inualetudine tẽtatus, anno proximo Coloniam rediit, vir omniũ opinione sãctus, cui ſuffectus Theodoricus Caniſius eodem

CIↃ IↃ. lxv.

dẽ patre cũ Petro, ſed diuerſâ matre natus, qui viginti annos Dilinganæ Academiæ magno iuuentutis fructu præfuit. Erit operæ hîc ex literis fũdati Collegij Dilingani partẽ trãſcribere, vnde conſtet, Othonis ſtudiũ, & de Societate, præſertim Petro Caniſio, exiſtimatio, quâ impulſus de ponendo Collegio curã ſuſceperit.

EXCERPTA EX LITERIS FVNDATIONIS COLLEGII SOcietatis IESV Dilingæ, Anno CIↃ.IↃ. LXIX. per Cardinalem Othonem Truckſeſſium.

DEo inſpirãte, & ſuadẽte etiã R.P. Petro de Soto Magiſtro à Theologia, Ordinis S. Dominici, viro verè venerãdo & docto, qui fuit S.C.M. Caroli V. Cõfeſſor, & petita acceptaq; facultate, cũ Dilingã veniſſet in erectione Collegij & Vniuerſitatis huius ſuâ operâ, cõſilio & auctoritate multũ iuuit, ſine quo nunquã potuiſſet tantũ opus inchoari, & eò vſq; produci: veni tandem in

 hanc

hanc sententiam, nullâ stabiliori atque vtiliori viâ, etiam in perpetuũ, huiusmodi difficultatibus occurri atq; prospici posse, quàm si nouũ aliud Collegium, quod Patrũ Societatis Iesu Dilingæ cũ necessariis redditibus, erigeretur, dotaretur, atque Patribus, tanquam his nostris temporibus ad munus docendi, & mores pios atque Christianos instituendi singulariter à Deo dotatis tota cura, superintendentia, institutio atque regimen aliud nouum, & Conuictorum Collegij S. Hieronymi, & totius Vniuersitatis liberè & integrè cõmitteretur. Ad hoc etiam faciendum plurimum animum mouerunt diuturna cognitio, ac consuetudo & experientia, quã habui cũ multis patribus eiusdẽ Societatis, videlicet Dilingæ, ante & post erectionẽ huius Collegij, cũ Reuerẽd. docto, atq; nũquã satis laudato viro Claudio Iaio, qui mecũ plures annos habitauit, nec nõ cũ eximiæ pietatis ac doctrinæ viro, Domino Petro Canisio, qui in

Ciui-

Ciuitate & diœcesi mea Augustana incredibilē fructū in conuertendis hæreticis, stabiliēdis Catholicis, & aliis nunquā satis admirandis & probādis operibus, cōtinuè, indefessè & laudabiliter lōgo tēpore peregit. Similiter nō solùm in Germania, sed etiā in Italia, & vbiq; locorum, vbi domiciliū, habitationem, Collegia seu auctoritatē dicti Patres Societatis Iesu habuerunt, vidi innumeros incredibiles bonos fructus. Hæc Otho Cardinalis. Illustrarūt etiā contuberniū iuuētutis, præstantes aliqui virtute iuuenes, inter quos fuit, iā in censu beatorum, Stanislaus Kostka illustri Kostkarū in Polonia stirpe oriūdus, qui Viennæ inter nobiles adolescentes apud nostros literis operam dabat, & diuino afflatus spiritu, omni ope in Societatis IESV disciplina vitam trāsigere cupiebat. Sed domesticorū veritus offensam & molitiones, si animum illis aperiret, delicato vestis cultu, cū abiecta pau-

peris lacerna permutato, Augustam Vindelicorũ ad Canisiũ acceptis P. Frãcisci Antonij cõmendatitiis profugit, multa diuinæ clementiæ in se per illud iter expertus argumenta, à Francisco Sacchino diligẽter in libro de rebus à Stanislao gestis exposita, vbi de aduẽtu eius ad Canisiũ, & Canisio in hæc verba refert: *Demum ab lõga peregrinatione sospes ad Canisium peruenit. Vbi ille vir sapiens ac sanctus, Germaniæq; Apostolus, ex ordine causã vitæ cognouit, viditq; ardorẽ, & submissionem, quibus peregrinus pro impetrãda Societ. certabat, vehemẽter indolẽ & vocationẽ probauit; præterquã quod & tantũ exhaustũ laborũ & emicãs in vultu pietas, & verba nescio quid vltra annos & humanã imbecillitatem spirantia, fidẽ perspicuè faciebãt fortis eius adolescentem ab sancto spiritu agi. Itaq; bonã ostentat spem; interim tamẽ siue vt amplius de virtute eius periculũ faceret, siue vt specularetur, numquid pro-*

propinqui mouerent, tantisper Dilingæ humiles vulgò labores suscipere, & seruilia tractare opera, Conuictorũ in ædibus iubet. Hæc nobilẽ hospitẽ hospitalis humanitas, hæc fatigatũ viatorẽ requies excepit. Quod equidẽ non arbitror absq; singulari quodã consilio & benignitate Numinis accidisse, nouã famulo suo virtutis exercendæ materiã suggerentis. Nã quid attinebat adeò perspectã amplius probare constantiam? Et ad propinquorũ speculandos motus haberi hospitis nomine aliquandiu poterat. Deus igitur eã Canisio prudẽtissimo viro minimeq; austero mentem iniecit, vt suo fideli operario in breui cõsummãdo facultatẽ offerret explendi tẽpora multa, & cui exiguã laboris horã, sed mercedẽ destinârat amplissimã, ei merita & decora quasi per compendia præpararet. Sanè Stanislaus, qui iã vilẽ induerat habitũ eum sequuturus, qui cũ dominus esset omniũ serui formã assumpsit, vehementer gauisus est, re quoque &

 actione

actione eiusdem se insignibus decorari. Sic est fermè nobilitas, vbique se effert. Quidquid obeundum est, obit splendidè At Stanislai humilia inter munia haud natiua solum generositas, sed multo clarius vera eminebat indoles Christianæ, id est, diuinæ nobilitatis. Non ille solùm nihil dedignabatur siue ad mensam siue in cæteris quotidiani vsus officiis sese inferioribus ministrare; Sed tanta id curâ, studio, veneratione faciebat, planè vt ostēderet Deo se magis quā hominibus seruire; nec mercenariam exhibere operam nec crescendi ex abiectione ambire causam, sed esse officiosissimū humilitatis sanctæ candidatum. Ita demùm se gessit, vt breui in se omnium conuerteret oculos; nec solū mirè Patribus in vocatione constantiam, & fidelitatem in ministerio probaret suam, verumetiā magnam de se concitaret expectationem, vti Canisius ad Generalem Præpositum scribit: Poteſt Dilingana nobilitas non iniuria tam ſancto hoſpi-

ſpite gloriari, qui tã illuſtria virtutis exẽpla, in illa domo reliquit impreſſa. Moratur apud nos Illmus & Rmus Epiſcopus Poſnanienſis, Andreas Bninius Opalinſius, qui primus Romæ Staniſlai iconem annuente Põtifice Maximo Paulo V. in noſtra æde publicè colendam propoſuit, de qua re plura Frãciſcus Sacchinus in vita Staniſlai. Fuit in eodẽ Conuictorum domicilio ſummo loco natus Baptiſta de Prado, qui non ſine cæleſti B. Virginis aſpectu & comitatu ad cælum eſt deductus; fuêre complures alij nobiliſſimi adoleſcentes, quos poſteritas commendabit, nos ad inſtitutam narrationem redeamus.

VARII LABORES CANISII.

CAPVT XIV.

DIlingano Collegio cõſtituto, & Henrico Dionyſio publica auctoritate in Rectorẽ Academiæ pri-

mũ solẽni ritu creato, Canisius Augustam reuertit, & populo pro concione docendo, ciuibusq; priuatis cõgressibus ad virtutẽ excitãdis, Sociis per Prouinciã pro more Societatis visendis, assiduã operam impendit. Ex Guilielmi Elderini literis ad Laynẽ Societat. totius moderatorẽ an. Christi CIↃ.IↃ.LXIV. Romam datis disco, quãtis idẽ Canisius laboribus fuerit Augustę oppressus. Sic enim ille: *Neq; sine fructu redit verbũ DEI in æde hac Primaria per Patrẽ Prouincialẽ pluribus prædicatum. Accesserunt octo ferè conciones, & hæ quotidianæ de sacrosãcta Eucharistia, cui sacramẽto populus Augustanus reuerentiã nunc tribuit singularem, vt multi mirentur. Idem Pater Canisius pro sui muneris ratione, his mensibus vicina inuisit Collegia, cum sua quidem & fratrum haud vulgari consolatione, exceptis interim omnium in confessione peccatis, rebusque Collegiorũ legitimè cõstitutis. Cũ autẽ*

Labores Canisii Augustæ.

in

in visitatione Oenipōti esset, exhortationē ad Serenissimas Reginas gratam habuit, quæ duabus vt vocant casulis eleganter & sumptuosè cōfectis altare nostrū Augustanū ornare voluerūt. Prætermitto alias & pene quotidianas Patris occupationes, quibus illū assiduè distrahi magnis in rebus cernimus. Nec commemorabo Rmū Cardinalē nostrum Augustanū, qui Patris Canisii consiliis sæpè & libenter vtitur vt nuper voluit Patrem adesse cum totius Gymnasii Dilingensis administrandi curā in Societatem hanc, neq; sine solemni quodā actu transferret. Vbi pater D. Henricū Dionysium Rectorem eiusdem Gymnasii pronunciare, & Rectoralibus illis insignibus ornare in magna hominū corona debuit, additâ simul oratione publicâ. Ingenuè fatētur boni omnes hîc in Germania, sicut & alibi vbi religionis afflicta causa iacet, per nostros magnū Ecclesiæ Catholicæ præsidiū adferri, ac Catholicorū reliquias in officio, quan-

Reginæ Ferdinandi Cæsaris filiæ quinq;.

tum fieri poteſt, maximè contineri.

Caniſio igitur ſudanti, & ſæpius à Principibus viris euocato, aut Prouinciæ luſtrãdæ operã dãti, ſuppetiatum venêre Martinus Steuardianus Alberto Boiorũ Duci à Cõcionibus: quo ęgrè cũcareret, eo reuocato Hermes Halbaur Auguſtę Cathedrã, abſente Caniſio, procurauit. Tám lætos Caniſij & Sociorũ in Germania ſucceſſus hoſtis publicę ſalutis, infernus Draco ægrè ferens, cœpit virus calumniarum per ſuos adminiſtros, famoſos, inquã, libellos, & picturas infames in nos paſſim ſpargere, quibus collectã ex laboribus & virtutis laude famã inquinaret. Portẽtoſa nobis crimina obiecta, ingentia mendaciorũ plauſtra ædificata, ſchedæ ad poſtes ædiũ noſtrarum fixæ, Monachij, Auguſtæ, Viẽnæ vita Sociorũ traducta. Sed vt vanitatis nulla vis eſt, & mendacia temerè ficta, ſtultiùs credita, repentè nata, ſubitò inflata vẽ-

toſæ

tosæ ritu bullæ crepāt, cōciduntque, Ita rebus per Albertū Boiorum Principem & alios diligenter excussis, & auctoribus figmentorū deprehensis, punitisq;, innocentia Sociorū publicis literis principū virorum cōtestata refloruit, & sinistra omnia ex fumo mendaciorum profecta, vt hodie solent, in fumū abierunt. Aно CIↃ.IↃ. LXIV. Canisius ab Stanislao Hosio Cardinale S^mo^ Braúnsbergā euocatus est, vt ibidē Collegij fundamēta poneret. Id quod in Augustani Collegij monumentis legi, Canisiū, inquā, ab Hosio petitū, quē Ribadeneira non exprimit, sed rem ita narrat: *Apud Sarmatas quoque, qui Poloni hodie nominantur, in ipsis Boreæ terris frigore damnatis, Stanislaus Hosius, vir ob singularem sapientiam, eloquentiamque cum pietatis studio coniunctam, ex Variēsi Episcopo Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, per hæc tempora Tridentino Concilio, non solùm*

inter-

interfuit, sed & Pii Quarti Pōtificis nomine præfuit. Is captus Laynis & Salmeronis Sociorū ingenti studio, ob perspectā Tridētina in Synodo singularem vtriusq́; doctrinā, dimisso Cōuentu domū reuersus, in sequēti anno nihil duxit antiquius, quā vt Braunsbergæ (quæ vrbs Prussiæ Prouinciæ Poloniæ Regi addictæ, Variēsis est diœcesis) Collegium Sociis institueret: ratus, quod erat, tuendæ religionis auitæ apud Prussios, necessariā esse piā iuuētutis institutionē.

Nulla quies data respirādi Canisio, qui mox ex vltimis septemtrionis frigoribus ad magnos Italię calores vocatus, denuò Romā Prouinciæ Germaniarū latissimæ præfectus, ad tertium Societatis vniuersæ Præsidē legendum aduolauit. Sed quid Romæ egerit, sæpius in vrbem citatus, summatim exponamus.

Quartus in Vrbem aduentus. CIC.IC LXV.

F I N I S

LIBRI PRIMI.

DE VITA R.P. PETRI CANISII.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

QVID ROMÆ GESSERIT CANISIVS.

Haud ignarus sum nullã esse virtutem, fuisse Romæ; sed Romam pietatis caussa adiisse, Romæque sanctè vixisse, & aliis vitæ morumq; innocentiâ documẽto fuisse, id demum in laude ponendũ esse. neq; enim locus quemquã sanctioré facit; sed Sanctus locum efficit sanctũ & religiosum. Sæpe adiit vrbẽ Canisius, & longis itinerũ molestiis fatigatus, nũc à summis Põtificibus euocatus, nũc à Cardinalibus deductus,

Septimùm iuit Romã Canisius.

ctus, aliàs à Societatis præsidibus citatus, semper tamen impressa pietatis vestigia reliquit; iam publicæ Germanorum saluti intentus, quibus iuuandis salutaria Piis & Gregoriis consilia suggessit: nunc inter domesticos, illustres radios sãctitatis sparsit; nunc imminentem purpuræ honorem fugâ declinauit; nunc cultu sanctorum & Martyrum pignoribus venerandis ingentes pro fidë & religione propugnanda spiritus hausit. *a* Septimo & quadragesimo post millesimum quingentesimum, primùm ab Ignatio vocatus vrbem est ingressus: post *b* biennium aut paulo antè ab eodem ex Sicilia ad solennia vota suscipienda reuocatus. Tribus postea Generalibus creãdis *c* Layni, *d* Borgiæ & *f* Mercuriano interfuit, extra ordinem etiam cum *e* Othone Cardinale, & Præsule Augustano in Vrbem profectus. Et à Gregorio XIII. vocatus. Sed quid in vrbe gesserit Cani-

a CIƆ.IƆ XLVII.
b CIƆ IƆ. XLIX.
c CIƆ.IƆ LVIII.
d CIƆ.IƆ LXV.
f an. CIƆ IƆ.lxxiij
e CIƆ.IƆ LXVIIJ.
f. an. CIƆ IƆ.lxxiij

Canisius, partim supra expositum est, partim Sebastianus Beretarius, qui hodieque Romæ viuit & spectator adfuit, cum Romæ Canisius esset, hisce verbis ad me ex vrbe perscriptis eleganter narrat.

Extincto interim beatæ memoriæ Francisco Borgiâ, Societatis vniuersæ Antistite, Patres Romam euocati, ad surrogandum Borgiæ successorem (quem Euerardum Mercurianum Leodiensem renunciarunt) cœtum egerunt, cui ex lege Canisius quamuis præsens, sed iam Prouinciali præfectura defunctus non interfuit; nihilominus quod proximum erat, Congregationis custodia illi demandata est, & claustri ianua commissa; munus non nisi primario alicui de Societate viro demandari solitum. Occasio Canisii accersendi illa fuit. Confl.to, aucto-re Pio V. Pont. Maximo inter Romanam Ecclesiam, Hispaniæ Regē, & Venetorum Rempublicam fœdere aduersus

CIƆ.IƆ.
LXXII

sus Turcam Italiæ imminentē, ac post partam nobilem illam naualē victoriam ad Echinadas, ac post Pij V. mortem rescisso; Gregorius XIII. qui Pio successerat, magno animo belli consilia susceperat spe concepta (eæ vires hac conspiratione Christianæ Reip. accesserant) fore vt à Græciæ ceruicibus Turcarū iugum pelleretur, & vtraq; Ecclesia in antiquā concordiam reuocaretur. Hac spe deiectus in tantum incidit mœrorem, vt dolorē suum in omni sermone præseferre nō dubitaret, Græcorū damno maximè permotus. Agebat adhuc in Vrbe magnis de causis Truckſeſsius Augustanus Cardinalis, is ad auertendū ab ea molestia eius animū, Pontificem admonuit, finitimæ Germaniæ mala nō minori illi curæ quàm Græciæ toto mari à nobis dissitæ esse debere, faciliusque eius vulnera adhuc recentia, quàm Græciæ iam inueterata sanari posse. Non auersis auribus hæc accipit Pontifex, desperataq; Græciâ ad opem Germaniæ ferendam omne

studium

ſtudium conuertit: conſilium ad id quærenti; neminē poſſe, commodius conſiliū rei totius expedire, reſpondit Auguſtanus, quàm Petrum Caniſium, è Societate Ieſu virum doctrinâ, fide, vitæq́; ſanctitate, Germaniâ totâ inprimis clarū; ipſum Germaniam penè omnem, primariaſq́; Vrbes luſtraſſe, viros principes adiiſſe, quo morbo ſingulæ quæque partes laborent, inſpexiſſe; quibus remediis ſanari poſſint, omnium optimè tenere. Accitus Romam, nullū eſſe docuit præſentius remedium, quàm ſi Germanorum alumnorum Collegium, iam inde à primis noſtræ Societatis initiis Romæ inſtitutum, per id tempus ad eam paucitatē redactum, vt rarò admodū duodecim alumnorū numerum excederet, ſubleuaretur, aliaq́; per Germaniam eiuſmodi Collegia excitarentur, quibus Germani adoleſcentes Eccleſiaſtica diſciplina, doctrinaq́; Catholica, & literis educarētur, his poſtea parœciæ, cathedræ, aliaque Eccleſiaſtica mūnera demandarentur,

nulla

nulla re magis Germaniã laborare, quã inopiâ doctorum Sacerdotũ, qui præsint Ecclesiis & animarũ curæ, populos sincera doctrina erudiant, & loquaci audaciæ hæreticorum, doctrinâ & Euangelica veritate sese opponant. Probatũ est sapientissimo Pontifici integerrimi hominis cõsiliũ. Inde Germanicũ Collegiũ in Vrbe, ad hanc, quã nũc videmus, amplitudinẽ redactum, aliaq́, quæ nũc felici cursu progrediuntur, variis Germaniæ in Vrbibus instituta annuo prouentu, copiã simul honestorũ, simul & doctorum Sacerdotũ Germaniæ suppeditant, qui quocũque mittũtur, hæresin profligant. Profuit consiliũ nõ Germaniæ solùm, sed aliis etiã nationibus, maiore quàm Germania peste laborantibus, quippe Germanici Collegij exemplo & cõsilio à Canisio indicato, eodem fermè tempore ab eodem vigilantissimo, & religionis propagandæ studiosissimo Pontifice, alia Collegia in Vrbe instituta. Anglorum primũ, numero, studio, &

dio, & virtute Germanico haud multũ impar: Neophytorum alterum, in quod tenerâ ætate adolescentes ex Iudaismo & Mahometanismo ad Baptismum admissi cooptẽtur. Hi Christiana disciplina & moribus instituti, præter latinas literas, Hebraicarũ etiã literarũ in vsum latinæ Ecclesiæ Romæ egregiè studia promouẽt, ne in rebus dubiis ad infideles interpretes cõfugiendũ sit. Maronitarũ tertiũ haud ita multo post Collegiũ erectũ. Quæ vna natio in Oriente toto, omnibus aliis deficiẽtibus, in fide semper mãsit, & manet adhuc Romanæ Ecclesiæ incredibili aduersus Romanum Papã & Papæ nomẽ reuerẽtia. Græcorũ quartũ; varia deniq; in exteris nationibus, Dilingæ, Viẽnæ, Remis, atq; adeo etiam apud Iapones & Paganos cœtus aluit adolescentũ, quibus domicilia in spem orbis totius ad Christũ reuocandi collocauit. His magnis operibus ab vno Canisio initium profectum. Discessit tandem Româ, & dictum, seu

factum

factum. causa inuẽta, cur repẽtino discesserit, quod suboluisset (vt rumor, seu verus, seu vanus; certè ferebatur) Romanũ Pontificem, adnitente iam olim Augustano, de illo sacra purpura ornando cogitare. Sed extincto sub initium aduentus Canisii Cardinale, res sopita est. Virtutẽ interim Canisii illustrabant Romæ studiũ, ardorq́ diuini honoris amplificandi, caq́ diligẽtia, quam quoties ad Vrbem venit, pauculis illis Collegii Germanici reliquiis, quæ tũc erãt, quas tanquam sua viscera intimo animo complectebatur, aliisq́ eiusdem gentis nobilibus viris, ac studiosis adolescentibus excolendis adhibuit; illos modò adiens, modò aduocans, ad pietatem & fidei Catholicæ constantiam, & vt aduersus hæreticorum mendacia, in hac veræ religionis arce, sincerâ doctrinâ se munirent, hortabatur: tum diligẽtiam multam in multis & claris virtutum exemplis, ad pietatem ad exteras gẽtes promouendam, cognoscendis contulit.

Fre-

Frequentabat non tantũ templa augustiora, ſanctorũ cælitum memoriis reliquiisq́; veneranda, ſed Oratoria etiã, & cõuentus inſigni pietate illuſtres, quib9 Chriſtiana pietas magnâ hominũ frequẽtiâ colitur, aut Chriſtiana in egentes charitas magno exemplo exercetur. Inuiſebat hoſpitales domos tũ antiquas, & magnis vectigalibus fũdatas, tũ recentes piorũ tantũ liberalitate ſuſtẽtatas, quantũq́; ex vtriſq́; boni ad homines promanaret, diligentiſſimè adnotabat. Xenodochiũ ſanctiſſimæ Trinitatis admirabatur, multis ſæpè hominũ millibus aduentantiũ largè ſufficiens, nullo alio vectigali, quã quotidianis piorum Eleemoſynis, abũde ſuppetentibus; tum ſtatis horis illuſtri ſpectaculo fuiſſe, è prima nobilitate multitudinẽ virorum & fœminarũ, vtrãq́; ſuo ſexui ſeorſũ inſeruire, aduenarũ pedes lauare, miniſtrare ad mẽſam, monita ad pietatẽ dare, qua animi cõparatione, quaq́; religione ſacra templa adeunda, & vniuerſa illa ſacra

 expiatio

expiatio foret obeunda, edocere, aliaq; pietatis officia præstare, quæ alij literis mandarunt: Et hæc quotannis per sacros hebdomadæ sanctæ, & Paschæ dies vsitata & vulgaria esse, quid præsẽs in Iubilæo vidisset & sensisset? Sodalitates præterea pioru hominũ, qui honestas, inopes tamẽ familias, quas pudorà mẽdicãdo deterret, collatis corrogatisq; Eleemosynis sustentãt; alias, quæ magnũ Virginũ numerũ collatâ dote ad honesta adiuuãt cõiugia cognoscebat: Tũ pios cætus indagabat magno numero, frequẽtiaq; diuina mysteria obeuntiũ, piosq; cõuentus celebrãtiũ. In iis maximè frequẽtabat inclytã illã, atque inter magna vrbis lumina, clarâ luce collucẽtem venerabilẽ sacerdotũ piorũq; virorũ congregationẽ Oratorij nuncupatã; multũq; familiaritate vtebatur, B. Philippi Nerij institutoris, adhuc in humanis agẽtis, eiusq; discipulorũ, qui tum præter cæteros florebãt Francisci Mariæ, Taurusii, Cæsaris Baronij, magni alterius

terius Ecclesiasticæ antiquitatis luminis, Ioannis Francisci Boldrinij, quorũ duo priores suis virtutibus, & vitæ sãctimoniâ, per multos annos sacrâ purpurâ illustrati, æternis iam cum Deo præmiis fruuntur; tertius Aueniõẽsis Archiepiscopus, pari vitæ ingritate dignã tãto munere operã suæ nauat Ecclesiæ. Vir igitur sanctus à viris sãctis, famã iã ante notus magno in honore habebatur: & verò ea hominis erat præsẽtia, & ea honestè faciei & totius vultus ad modestiam cõpositi dignitas, vt vel silẽte famâ beneuolẽtiã & reuerẽtiã sibi cõciliaret, oratio spiraret sanctitatẽ. Incredibilẽ apud hos, perpetuamq; hominũ frequentiã pietatis studia colẽtiũ obseruauit. Multos præterea viros principes, tũ Ecclesiastica dignitate insignes, tũ nobiles Romanos cõmemorabat nominatim, quorũ cum copiosas Eleemosinas, tũ memorãda facta, insigniúq; virtutũ exempla recensebat. Hæc pusillo tũ gregi Collegij Ger-

 manici,

manici, alijsque studiosis Germanis adolescentibus exponebat, eosque ad ista aliaque eiusmodi accuratè indagãda & recognoscenda accẽdebat, vt se, cùm in Germaniã redirent, oculatos testes Romanæ pietatis exhiberent, aduersus impios latratus veritati obsistentiũ hæreticorum, docebatq́; multorũ Germanorũ culpã, qui Romæ diu versati, adhac tãta, & tam illustri laude digna exoculati, ad improba tãtũ, & relatu indigna, quæ de Romanis rebus in Germaniam perferrẽt, mentis aciẽ intenderẽt, & ad fœda vlcera, quæ hæreticorũ fecerat impietas, ipsi vngues accederent. Et sanè mirũ non eſt in tanta Ciuitate, tanta omnium gentiũ colluuione, inferaci solo, fœcundaq́; segete, herbas sæpe noxias, & aliqua vitiorum semina succrescere. Querebatur igitur vir diuini honoris studiosissimus, quæ naturæ vitio in magna multitudine fieri solẽt, ea quodãmodo ad instituta conuerti, & paucorũ culpam in ciuitatem omnem conferri: Ingen-

Ingentem verò laudum siluam à tanta virtutũ multitudine enatã præteriri. Ita vir summè industrius nunquam de diuina causa promouenda, fideq́; Catholica constituenda cogitationẽ ponebat; & cũ, quid ipse faceret, exponebat, quid ex illo imitari ipsi deberemus, docebamur. Et hæc Beretarius.

NVNCIVS APOSTOLICVS AD GERMANIAE PRINCIPES LEGATVR.

CAPVT II.

PIus IV. P. M. pro Germaniis passim laborantibus solicitus, vt in religionis Catholicæ professione perseuerantes ad constantiã hortaretur, dubios & hærentes firmaret, exerrantes in viam reuocaret, ex occasione præsentis tum Canisij ratus è re Christiana fore, si illũ cum auctoritate sui nominis in Germanias ablegaret, qui principes, dynastasq́. Imperij coram adiret, suamq́; Pontifi-

CIↃ.IↃ LXV.

cis curam & solicitudinem, datis ad eosd. literis explicaret, & ad auitam pietatem vel retinẽdam, vel restaurandã hortaretur. Canisius suscepto legationis officio, regulos Germaniæ passim conuenit, Pontificis studium erga salutem cũ singulorũ priuatã, tum omnium communẽ exposuit, neque pœnitendas res effecit, quod ipse, quãuis permodestè, vt solet, attigit, cũ in hæc verba de se scripsit: *Et si vero,* inquit, *multis annis hoc saxum Augustæ volui, multorumq́ gratiã in Euãgelico munere mihi cõciliaui; tamẽ in loca vicina & dissita proficisci subinde debui, quẽadmodũ in Bauariã, Sueuiã, Rhetiam, Austriã, Poloniã, Franconiam, donec tandẽ Pius IV. Pontifex hoc mihi negotium Romæ dedit, vt præcipuos Germaniæ Principes, quibus & ipse scribebat, corã accederẽ, ac eorũ animos in religione Catholica promouenda cõfirmarẽ. Igitur in Westphaliam vsq́ peregrinandum fuit, vbi & in*

& in Geldriam penetraui, & satis laboriosam sensi profectionẽ, comite ex nostris vno contentus. Quidquid autẽ in his itineribus, quæ suis periculis nõ caruerunt, rectè & feliciter à me gestũ est præpotentis Dei gratiâ, & virtute singulari gestũ esse testor, ego nihil ex his mihi arrogo, vt pote seruus inutilis. Nõ assumpsit in comitatũ officia aulica, nec vllã accersiuit ab externo splendore auctoritatem, vnico Socio nostræ familiæ comitatus: modestiâ & virtute sibi dignitatem; auctoritatem legationi accessuram non falsò opinatus. Venit in eadem profectione Coloniam Agrippinam, vt ex Academicis illic monumentis per Io. Hasium, quem supra polui, cognoui. Colonię CIↃ. IↃ. LXVI. XIX. Kal. Febr. Academicis Patribus, & ciuili Magistratui, Pij Pontificis auctoritatem exhibuit, quâ monebantur, vti Canisio fidem haberent, & capita suo Pontificis nomine perscripta

præſcriptaque diligenter exequerentur. Nec fuêre amplius ſeptem, minimè ſanè ſilentio premenda, quod plurimum videantur ad multorum inſtitutionem valere.

I. Primùm, vti nemo vel ad docendũ pro concione populum in tẽplo, vel ad erudiendã iuuentutẽ in Gymnaſiis & Academia admitteretur, de cuius honeſta vita, integritate morũ, & Catholica pietate non conſtaret.

II. Deinde, vt ſcripta, quæ vel morũ diſciplinam labefactarẽt, vel Romanæ ſinceræq; doctrinæ obſtarẽt, vnà cũ librariis, qui huiuſcemodi chartas vel clanculũ vel apertè in vrbem inferrent, proſcriberentur.

III. Præterea, vt alienis à Catholica religione locus in vrbe non eſſet, foraſque eliminarentur.

IV. Quartò, ne quis clãcularius præco ſeu Lutheri ſeu Caluini, ſeu cuiuſcunque alienæ ſectæ vrbe, domo, tecto reciperetur.

In-

Insuper vt in hostes religionis Catholicę seuera edicta ponerentur, cōtraq; venire ausi grauiter punirētur. V.

Academici quoque viderent, ne quē ad vllum publici honoris gradū in quatuor supremis literarū disciplinis Theologiæ, Canonum, Iuris Ciuilis prudētiæ & Medicinæ admitterent, qui recusaret, ex præscripto Cōcilij Tridentini formula, quid crederet, damnarétue, profiteri. VI.

Postremò ne sacerdotia, quæ beneficio iureq; suo Pōtifex cōferre soleret, cuiquā assignarētur, qui ex pręscripto Pōtificis, legūque auctoritate docere nollet, & vti prælectionū disputationūq; publicarū, præsertim in Theologicis maior ratio haberetur. VII.

His cognitis, cum Academici, vrbanusq́ue Magistratus frequentes in Consilium iuissent, inter se collocuti, Canisio vt internuncio Apostolico primùm gratias egerunt de labore, eorum gratiâ suscepto; deinde

prolixè omnia promiſerunt facturos, ſeſeq́; in auctoritate Pontificis, vti ſemper ante hac fuiſſent, in poſterũ futuros, omnibusſq́ eius mãdatis obſecundaturos. Multũ hęc legatio Caniſij profuit Coloniæ, in auitâ pietate perſeueranti, prodeſtq́. hodie. Erant illa, quæ expoſuit, etiam publicâ Notariorum Romanorum auctoritate ſignata, quorum poſt defunctionem legationis Caniſius duo exempla Collegio Colonienſi reliquit. Secundum hæc ad Cliuiæ, Iuliæ, Montiumq́. Principem Gulielmum profectus, ab eo diſcit Pium Pontificem, VI. Idus Decembres CIↃ.IↃ.LXV. vixiſſe: proinde obitâ legatione Coloniam reuerſus Catecheſin ſuam dudum vulgatam recognouit, ac Senatui inſcriptam dedicauit. Quę interim Nouiomagi patrio ſolo per illam excurſionem egerit, infrà libro extremo perſcribemus.

CATHEDRAM AVGVSTANAM GREGORIO ROSEFFIO COMMITTIT, LIBROS condit

CAPVT III.

SI creſcentibus in dies negotiorũ curis etiã vires corporis augerẽt, eſſet cur naturæ gratias meminiſſemus; ſed cùm hominis vita quotidie denaſcatur, & cũ annis, corporis vigor sẽſim fugiat, Caniſius quãuis huc uſq; firmus & florens, quintũ nẽpè ſupra quadrageſimũ agitans annum, vnus tamen omnibus par laboribus eſſe nõ potuit diutiùs, cùm domeſtica prouinciæ negocia propè totum ſibi hominem vẽdicarent, & Cathedræ Auguſtanæ, quę in prouincia, grauiſſima eſt, procuratio, eundẽ ſibi viciſsim aſſereret, & multa quotidie inter manus negocia, vti fieri amat, naſcerẽtur, prouidẽdus fuit idoneus aliquis huic loco, & aſsiduus Eccle-

ſiaſtes, qui cœptũ Caniſij laborẽ proſequeretur. Agebat tum Romæ Gregorius Roſeſſius gente Boius, Domo Landishutanus, qui cæleſtium literarum iã portũ ſpectabat, vir magnis corporis & animi viribus, conſiliiſque pollens, quod eâ tempeſtate, eoque loci maximè deſiderãdum erat, ab eloquentiæ laude in primis commendatus. Hic Auguſtã miſſus adulto iam anno CIↃ.IↃ.LXVI. Nouembri menſe, Othone Cardinale præſente & volente, Principem Auguſtæ Cathedram Caniſii loco occupauit, quã vltra triginta ſex annos poſtea non ſine frequenti procerum applauſu populiq; notabili fructu tenuit. Caniſius eo labore ſubleuatus, quidquid vacui temporis à publicis prouinciæ curis habuit, ſubſeciuas horas non otio tranſmiſit, ſed armis literariis in hoſtes & perduelles religionis ſumptis, cœpit tela calami in aduerſarios ſtringere, & centurias errorum

Gregorius Roſeſſius Auguſtanam Cathedram procurat.

CIↃ.IↃ LXVI.

prola-

prolatas in publicum oſtendere, falſarumq́; narrationum mendacia retundere. Ergo illuſtre opus Commētariorum. DE VERBI DEI CORRVPTELIS, quo Ioannis Baptiſtæ honores maximè tuetur, condit, & Ferdinando Ferdinandi Imperatorir F. inſcriptum Oeniponte Anno CIↃ.IↃ.LXXI. offert, quod magnopere ab orbe Chriſtiano commendatū, ſæpiuſq́; ad typographum reuocatū, ac poſtremò recognitum anno CIↃ.IↃ.LXXXIII. prodiit, quo & Eccleſia Romana egregiè propugnata, & antagoniſtæ fœdè proſtrati, vanitatem ſuarum opinionum, ſi nō perfricuiſſent, iure potuerunt, debueruntq́ue agnoſcere ſimul & erubeſcere.

ENERGVMENAM CVRAT.

CAPVT IV.

MAgnam vim habet docentis oratio, cùm verba non diſcrepāt

 à vita

à vita: maiorem cum diuinis etiam ſuffragiis confirmantur. Ea erat de Caniſij virtute opinio, vt nemo non ſanctũ diuinumq́; hominẽ exiſtimaret, & pro ſua ſentẽtia tanquã charũ Deo virũ veneraretur: nec falſi ſunt, qui tam piè de Caniſio ſenſerunt. Idẽ de eo Deus ipſe pronunciauit, cùm multa per eum mortalibus beneficia præſtitit, quæ natura ipſa negauit ſe præſtare poſſe. Infrà ſcribemus illa cælitũ ſuffragatione perpetrata. Hîc ponemus, quod ante patria lingua à Martino Eiſengreinio, Præſule Oetingano & Academiæ Ingolſtadianæ Procancellario, viro ſummæ auctoritatis, religionis, eruditionis, qui tum *Oetingę fuit, cùm hoc quod expono, contigit, prolixè & copioſè denarratum eſt.

*Vtinã olim.

* Oetinga, vetus oppidũ eſt in Boica, vbi nobile ſacrarium, cælitum reginæ Virgini Opt. Max. Dei matri, à priſcis Boiorum regulis conditum,

* Vtinum Aedes Oetingana religio-[illegible]na.

&

& maximis votorum donis opulentũ,religione ſanctiſſimũ, & benignæ Dei Genitricis immortalibus beneficiis, in omne genus mortaliũ profectis, per omnẽ Germaniam inclitũ, iamque per alium latinis litteris illuſtratum.Huc Auguſta Vindelicorũ anno CIↃ. IↃ. LXX. Duodecimo Cal. Feb. venit Illuſtris vir Marcus Fuggerus, caput gentis ſuæ & vrbi Auguſtæ Præfectus,cũ Illuſtri Coniuge ſua Sibylla, & Caniſio noſtro,aliiſq; cõpluribus, vt ab Anna Bernhuſia nobili virgine,quam ſecum deduxerant, malus genius, quo octauũ iam annũ inſeſſa miſerandum in modum cruciabatur,profligaretur. Cũ enim S. Vdalrici primùm aris Auguſtę admoueretur,ſex inde (ſeptẽ enim impuri ſpiritus puellã occuparãt)fugati ceſſerant,ſeptimus negarat ſe puellam deſerturũ. Sed virgini in quadam liphothymia ſeu animi defectione ſe benigna Dei mater oſtenderat, futu-

Anna Bernhuſia obſeſſa.

futurumq; prædixerat, hostē Dei in sacello suo Oetingano pulsum iri, si concepto voto se calicē sacrū munus allaturā polliceretur; promisit illa, & votū soluit, sed in exturbando hoste, malo hospite, non exiguus labor fuit impendēdus. Canisius simul Oetingā cū illustri Fuggerorū, vt dixi, comitatu, attigit, virginis Oetiganæ opem precibus iussit implorari. Posterâ luce, M. Fuggerus cum Coniuge, expiatis per confessionem peccatis, sacroque Christi corpore percepto, preces ardētissimas ad Deum, Deique matrem fundit, vt Canisij conatibus adesse, virginemque ab imani monstro, ac carnifice exsoluere dignentur. Secundum prandium reditur ad templū. Aderant spectaculo præsentes plus minus quindecim; admonet Canisius puellam voti, quo se Augustæ per auocationem animi cum calice Oetingam deferendo adstrinxerat. Tū simul omnes in genua
sup-

ſupplices procũbunt, conſenſuq́; opẽ cæleſtẽ efflagitãt. Marci coniunx cũ virgine dęmoni obnoxia ſummũ in ſacello locũ iuſſa occupat; cingunt illos reliqui, iuxtimq́; adſiſtit Caniſius, exomologeſin exorſus, precationem dominicã, & Angelicã ſalutationẽ, aliaq́; id genus flectẽdi Numinis cauſâ præſidia adhibet. Quietus interim agebat Dæmon. Recitantur deinde ſanctiſſimæ Virginis Litaniæ: reſpõſant omnes; *Sancta virgo, Mater Dei, ora pro nobis.* Hîc muſſitare ſecũ, votaque abnuere, negare demũ apertè dęmon, ſe nec auditurũ, nec paſſurũ, vt Mariæ auxiliũ imploraretur. Virginem ſupinam rapit, humiq́; crudeliter affligit. Afflictã Marcus in ſinũ recipit; dextrum Caniſius, ſiniſtrum Sibylla cum Sacerdote latus tuẽtur; puellam tamen ægrè retinent. Hinc iam arma Caniſius cæleſtia expedit, hoſtemq́; deuotionibus & diris vrget, atque hunc in modum premit:

Per Numẽ, nomenq́; ſanctũ Dei, ac magnæ Matris Dei, impuriſsime, ſceleſtiſſimeq́; dæmon impero, vti planè diſerteq́; ac ſine fraude pronuncies, quot quãtiq́; ſitis, qui puellã occupatis. Hîc, vi cælesti adactus, ægrè ac velut collectâ, poſt intercœptũ ſpiritum animâ reſpondet, ſolũ ſe reſtare ſeptimũ, extremumq́; non ignarum voti puellæ, & depulſionis, ſi ad has Virginis aras admoueretur; cruciaturum tamen ſe puellam ad ſatietatem vſq́;, priuſquã ſuâ ſtatione cedere cogeretur.

Quærit Caniſius, ecquoties torturus eſſet miſeram? quater, inquit, ſupra vicies: parentum cauſâ ſepties, totieſq́; dominorũ, decies ob familiam Fuggericam. Ita ſe in mandatis habere, dictoq́ue citiùs mediã arreptam tollit, & crudelem in modũ humi allidit, trahit, rapit, diſtẽditq́;, vti quinq́; illi, qui puellã retinebãt, vehemẽter laborarẽt, ne penitus arreptã diſcerperet; atq́; hoc dirũ ſpectaculum

lũ reuocauit ſeptimũ. Imponitur de-
in ſculpta, eademq; peruetuſta Vir-
ginis imago, ceruici puellæ; furit ſer-
pẽs, omneſq; cõſpuit, & horrẽdũ vo-
ciferatus execratuſque, *faceſſe, inquit
meretrix*, (Dei Matrẽ impius appel-
labat) *tã diriter me premere*. Caniſium
ſubinde canicidã per cõtumeliã vo-
citabat. *Atq; ego*, inquit Caniſius, *te ex
carnificabo, Cerbere, Age quando tandẽ
cedes loco?* permitte, inquit, ille, *cedã*.
Non hoc, ſubiicit Caniſius, in nobis,
ſed in Deo, Deiq; Matre ſitũ eſt. Cui
dæmõ, *cras me expediã, ſi prius pro de-
bito hãc duodecimũ ad necẽ vſq; torſero*.
Poſtero die geminãtur preces, totũq;
antemeridianũ tẽpus, rebus diuinis,
ac votis ſoluẽdis cõſumitur. Ad me-
ridiẽ in ædicula Virginis religioſiſſi-
ma omnes adſunt, & pridiana precã-
di formula repetitur. Vbi ad locũ de
Virginis patrocinio ventum, rurſum
fremere monſtrũ, puellamq; afflicta-
re; Marcus heſternum iterat officiũ,
puel-

puellamq; prensam pro viribus retinere cum aliis contendit. Canisius fulmina dirarum rursum in hostem torquet, deuotionibus vrget, cederéque loco imperat: ridet ille, & eludit horam integram dicta imperataque Canisij. Duodecima pòst hora, rursũ arripit miseram, adeoque in eã desæuit infernus carnifex, vt horrorẽ, & commiserationem omnibus cõmoueret, omniumque opinione in mille partes infelix differenda putaretur.

Hanc immanitatẽ stygius tortor cùm in puellam septimùm exercuisset, exanimata illa concidit, intraque partem horę quartam restituta sibi, interrogatur, quid desideret, quidue menti obiectum sit. Respondit placidè, virginem se Dei matrẽ duobus comitatam cælitibus vidisse, alterumque ex beatis nunciasse, quintò vexandam se adhuc, cruciandamque, dein haud vltrò quæstionibus progrediendum, sed imperandum,

vti prouolutus in genua Deum verbis Domini; virginem angeli, quintũ iteratis veneretur, terramq́ue ſepties indicij loco, ſpectante totâ præſentium coronâ, ore ſupplex contingat, Reginam cæli terræq́ue priùs læſam & impio ore laceſſitã, exquiſitis honoribus afficiat colatq́ue. Quibus acceptis conſurgitur ab omnibus, mediumq́ue ſacellum deligitur, vbi palinodiam ſanctiſsimę Virgini impuriſsimus canat. Sed omnibus aram Virginis aſpicientibus, ſola puella ianuæ tẽpli os obuertit; ſed imperio Caniſij altare cogitur ſpectare. Quod dũ facit, immane incipit fremere, & eiulare; *Væ miſero, vt torqueor, nullus meorũ intra viginti annos tam atrociter eſt excarnificatus.* Age nunc, inquit Caniſius, impuriſsima bellua, Dei mandata exhauri, poſſeſsione cede, puellamq́ue miſſam facito. Extendit brachia dæmon in formam crucis, præſenteſq́ue affatur. *En*, inquit,

siastes, qui cœptũ Canisij laborẽ prosequeretur. Agebat tum Romæ Gregorius Rosessius gente Boius, Domo Landishutanus, qui cælestium literarum iã portũ spectabat, vir magnis corporis & animi viribus, consiliisque pollens, quod eâ tempestate, eoque loci maximè desiderãdum erat, ab eloquentiæ laude in primis commendatus. Hic Augustã missus adulto iam anno CIↃ.IↃ.LXVI. Nouembri mense, Othone Cardinale præsente & volente, Principem Augustæ Cathedram Canisii loco occupauit, quã vltra triginta sex annos postea non sine frequenti procerum applausu populiq; notabili fructu tenuit. Canisius eo labore subleuatus, quidquid vacui temporis à publicis prouinciæ curis habuit, subsecivas horas non otio transmisit, sed armis literariis in hostes & perduelles religionis sumptis, cœpit tela calami in aduersarios stringere, & centurias errorum prola-

Gregorius Rosessius Augustanam Cathedram procurat.

CIↃ.IↃ LXVI.

prolatas in publicum oſtendere, falſarumq́; narrationum mendacia retundere. Ergo illuſtre opus Commētariorum. DE VERBI DEI CORRVPTELIS, quo Ioannis Baptiſtæ honores maximè tuetur, condit, & Ferdinando Ferdinandi Imperatorir F. inſcriptum Oeniponte Anno CIↃ.IↃ.LXXI. offert, quod magnopere ab orbe Chriſtiano commendatū, ſæpiuſq́; ad typographum reuocatū, ac poſtremò recognitum anno CIↃ.IↃ.LXXXIII. prodiit, quo & Eccleſia Romana egregiè propugnata, & antagoniſtæ fœde proſtrati, vanitatem ſuarum opinionum, ſi nō perfricuiſſent, iure potuerunt, debueruntque agnoſcere ſimul & erubeſcere.

ENERGVMENAM CVRAT.

CAPVT IV.

MAgnam vim habet docentis oratio, cùm verba non diſcrepāt

à vita: maiorem cum diuinis etiam ſuffragiis confirmantur. Ea erat de Caniſij virtute opinio, vt nemo non ſanctũ diuinumq; hominẽ exiſtimaret, & pro ſua ſentẽtia tanquã charũ Deo virũ veneraretur: nec falſi ſunt, qui tam piè de Caniſio ſenſerunt. Idẽ de eo Deus ipſe pronunciauit, cùm multa per eum mortalibus beneficia præſtitit, quæ natura ipſa negauit ſe præſtare poſſe. Infrà ſcribemus illa cælitũ ſuffragatione perpetrata. Hîc ponemus, quod ante patria lingua à Martino Eiſengreinio, Præſule Oetingano & Academiæ Ingolſtadianæ Procancellario, viro ſummæ auctoritatis, religionis, eruditionis, qui tum *Oetingę fuit, cùm hoc quod expono, contigit, prolixè & copiosè denarratum eſt.

*Vtinũ olim.

* Vtinam

* Oetinga, vetus oppidũ eſt in Boica, vbi nobile ſacrarium, cælitum reginæ Virgini Opt. Max. Dei matri, à priſcis Boiorum regulis conditum,

Aedes Oetingana religioſiſſima.

&

& maximis votorum donis opulentũ, religione sanctissimũ, & benignæ Dei Genitricis immortalibus beneficiis, in omne genus mortaliũ profectis, per omnẽ Germaniam inclitũ, iamque per alium latinis litteris illustratum. Huc Augusta Vindelicorũ anno CIↃ. IↃ. LXX. Duodecimo Cal. Feb. venit Illustris vir Marcus Fuggerus, caput gentis suæ & vrbi Augustæ Præfectus, cũ Illustri Coniuge sua Sibylla, & Canisio nostro, aliisq; cõpluribus, vt ab Anna Bernhusia nobili virgine, quam secum deduxerant, malus genius, quo octauũ iam annũ insessa miserandum in modum cruciabatur, profligaretur. Cũ enim S. Vdalrici primùm aris Augustę admoueretur, sex inde (septẽ enim impuri spiritus puellã occuparãt) fugati cesserant, septimus negarat se puellam deserturũ. Sed virgini in quadam liphothymia seu animi defectione se benigna Dei mater ostenderat, futu-

Anna Bernhusia obsessa.

futurumq; prædixerat, hostē Dei in sacello suo Oetingano pulsum iri, si concepto voto se calicē sacrū munus allaturā polliceretur; promisit illa, & votū soluit, sed in exturbando hoste, malo hospite, non exiguus labor fuit impendēdus. Canisius simul Oetingā cū illustri Fuggerorū, vt dixi, comitatu, attigit, virginis Oetiganæ opem precibus iussit implorari. Posterâ luce, M. Fuggerus cum Coniuge, expiatis per confessionem peccatis, sacroque Christi corpore percepto, preces ardētissimas ad Deum, Deique matrem fundit, vt Canisij conatibus adesse, virginemque ab imani monstro, ac carnifice exsoluere dignentur. Secundum prandium reditur ad templū. Aderant spectaculo præsentes plus minus quindecim; admonet Canisius puellam voti, quo se Augustæ per auocationem animi cum calice Oetingam deferendo adstrinxerat. Tū simul omnes in genua

sup-

supplices procũbunt, consensuq; opẽ cæleſtẽ efflagitãt. Marci coniunx cũ virgine dęmoni obnoxia summũ in sacello locũ iussa occupat: cinguntillos reliqui, iuxtimq; adſiſtit Caniſius, exomologeſin exorſus, precationem dominicã, & Angelicã ſalutationẽ, aliaq; id genus flectẽdi Numinis causâ præſidia adhibet. Quietus interim agebat Dæmon. Recitantur deinde sanctiſſimæ Virginis Litaniæ: reſpõsant omnes; *Sancta virgo, Mater Dei, ora pro nobis.* Hìc muſſitare ſecũ, votaque abnuere, negare demũ apertè dęmon, ſe nec auditurũ, nec paſſurũ, vt Mariæ auxiliũ imploraretur. Virginem ſupinam rapit, humiq; crudeliter affligit. Afflictã Marcus in ſinũ recipit; dextrum Caniſius, ſiniſtrum Sibylla cum Sacerdote latus tuẽtur; puellam tamen ægrè retinent. Hinc iam arma Caniſius cæleſtia expedit, hoſtemq; deuotionibus & diris vrget, atque hunc in modum premit:

Per

Per Numẽ, nomenq́ sanctũ Dei, ac magnæ Matris Dei, impurissime, scelestissimeq́ dæmon impero, vti planè discerteq́, ac sine fraude pronuncies, quot quãtiq́ sitis, qui puellã occupatis. Hîc, vi cælesti adactus, ægrè ac velut collectâ, post intercœptũ spiritum animâ respondet, solũ se restare septimũ, extremumq́; non ignarum voti puellæ, & depulsionis, si ad has Virginis aras admoueretur; cruciaturum tamen se puellam ad satietatem vsq́;, priusquã suâ statione cedere cogeretur.

Quærit Canisius, ecquoties torturus esset miseram? quater, inquit, supra vicies: parentum causâ septies, totiesq́; dominorũ, decies ob familiam Fuggericam. Ita se in mandatis habere, dictoque citiùs mediã arreptam tollit, & crudelem in modũ humi allidit, trahit, rapit, distẽditq́;, vti quinq́; illi, qui puellã retinebãt, vehemẽter laborarẽt, ne penitus arreptã discerperet; atq́; hoc dirũ spectaculum

lũ reuocauit ſeptimũ. Imponitur de-
in ſculpta, eademq́; peruetuſta Vir-
ginis imago, ceruici puellæ; furit ſer-
pẽs, omneſq́; cõſpuit, & horrẽdũ vo-
ciferatus execratuſque, *faceße, inquit
meretrix*, (Dei Matrẽ impius appel-
labat) *tã diriter me premere*. Caniſium
ſubinde canicidã per cõtumeliã vo-
citabat. *Atq́; ego,* inquit Caniſius, *te ex
carnificabo, Cerbere, Age quando tandẽ
cedes loco?* permitte, inquit, ille, *cedã*.
Non hoc, ſubiicit Caniſius, in nobis,
ſed in Deo, Deiq́; Matre ſitũ eſt. Cui
dæmõ, *cras me expediã, ſi prius pro de-
bito hãc duodecimũ ad necẽ vſq́; torſero*.
Poſtero die geminãtur preces, totũq́;
antemeridianũ tẽpus, rebus diuinis,
ac votis ſoluẽdis cõſumitur. Ad me-
ridiẽ in ædicula Virginis religioſiſſi-
ma omnes adſunt, & pridiana precã-
di formula repetitur. Vbi ad locũ de
Virginis patrocinio ventum, rurſum
fremere monſtrũ, puellamq́; afflicta-
re; Marcus heſternum iterat officiũ,
puel-

puellamq; prenſam pro viribus retinere cum aliis contendit. Caniſius fulmina dirarum rurſum in hoſtem torquet, deuotionibus vrget, cederéque loco imperat: ridet ille, & eludit horam integram dicta imperataque Caniſij. Duodecima pòſt hora, rursũ arripit miſeram, adeoque in eã deſæuit infernus carnifex, vt horrorẽ, & commiſerationem omnibus cõmoueret, omniumque opinione in mille partes infelix differenda putaretur.

Hanc immanitatẽ ſtygius tortor cùm in puellam ſeptimùm exercuiſſet, exanimata illa concidit, intraque partem horę quartam reſtituta ſibi, interrogatur, quid deſideret, quidue menti obiectum ſit. Reſpondit placidè, virginem ſe Dei matrẽ duobus comitatam cælitibus vidiſſe, alterumque ex beatis nunciaſſe, quintò vexandam ſe adhuc, cruciandamque, dein haud vltrò quæſtionibus progrediendum, ſed imperandum,

vti prouolutus in genua Deum verbis Domini; virginem angeli, quintũ iteratis veneretur, terramque septies indicij loco, spectante totâ præsentium coronâ, ore supplex contingat, Reginam cæli terræque priùs læsam & impio ore lacessitã, exquisitis honoribus afficiat colatque. Quibus acceptis consurgitur ab omnibus, mediumque sacellum deligitur, vbi palinodiam sanctissimę Virgini impurissimus canat. Sed omnibus aram Virginis aspicientibus, sola puella ianuæ tẽpli os obuertit; sed imperio Canisij altare cogitur spectare. Quod dũ facit, immane incipit fremere, & eiulare; *Væ misero, vt torqueor, nullus meorũ intra viginti annos tam atrociter est excarnificatus.* Age nunc, inquit Canisius, impurissima bellua, Dei mandata exhauri, possessione cede, puellamque missam facito. Extendit brachia dæmon in formam crucis, præsentesque affatur. *En*, inquit,

quit, *nos infelices Deo, Deiq́ue Matri, parere cogimur; vos imperium eiuſdē detrectatis*. Mox in genua abiectus, Dominicam precationem hunc in modum pronũtiauit. *Pater noster qui es in cælis*, dein interiectis his (*ob primi vulneris Christi Ieſu ſeruatoris memoriam*) dein cætera, quæ ſequuntur, exequebatur. Salutationem Angelicam ſic abſoluebat; *Aue Maria gratia plena, Tuam gratiam miſericordiamq́ ſentiãt omnes in hac æde præſentes*. dein ſubiunxit reliqua. Poſtremò adiecit hanc extremam clauſulam: *O Mãria Mater Dei ora pro nobis*. Hæc quintùm iterauit. Peracta prece, Virginē cæleſtem tam compoſitis, exquiſitiſq́ue verbis collaudauit, vt omnes dederit in admirationem.

Sed Caniſius vrgebat extrema, atq́ue vt excederet, vi diuini nominis imperitabat. Cui ferociter dæmon; terra prius oſculãda mihi ſepties. Cũ feciſſet, rogat Caniſius, cur id, & quâ

gra-

gratiâ faceret? *Reginæ Deiparæ colēdæ,* inquit, *quā anteà vocibus impiis incesſeram.* Mox ſublimem rapit puellam, horrendumq́ue fremens immaniter vociferatur, cumq́; finem clamando faceret nullum, imperat Caniſius, vti tandem cedat, ac penitus excedat.

Obſequi cogitur homini mortali genius immortalis, puellamq́; intra ſecundam tertiamq́; pomeridianam pulſus fugatuſq́; deſerit. Caniſius perculſis omniū animis cohortationem addit, admonetq́; omnes, vti quiſq́; in memoriā præteritæ vitæ & noxarum cum animi dolore redeat, labes per confeſſionē abſtergat, melioréq́; viuendi rationem inſtituat: originē primaſq́; cauſas aperit, cur & quo pacto ſibi dæmon ius inuadendæ puellæ vſurparit. Ego, vti accepi, ita rei geſtæ ſeriem expoſui. Addit Martinus Eiſengreinius, occupatā primū à quatuor cacodæmonibus, ob impiam execrationē, qua ſe (ſi ſecus eſſet ac di-

ac dixisset) orco deuouerat. Post triennium accessisse reliquos; recitat testes omnes præsentes, & oculatos nominatim, quos in libello ab eodē de ædicula Oetingensi edito Cap. XIV. copiosiùs leges. Hoc tamē non omittendum, Annam ab ingrato hospite liberatam, Catholicam pietatem ac religionem in omnem reliquam vitam constantissimè coluisse.

PRÆFECTVRAM PROVINCIAE PAVLO HOFFAEO TRADIT.

Capvt V.

TOtum iam vicennium Canisius Sociis in Germania superiore cū potestate præerat, & interea loci Augustę in Principe Dei matris æde populum pro Cathedra multis annis & ante triennium demum dimissa docebat, domi antagonistas erudito calamo cōfigebat, & magna voluminū opera condebat. Poterant Atlantis

aut

aut Herculis vires tantis laboribus debilitari. gemebat ſub onere Caniſius, nec tamen, vt ſolemus, querebatur, creſcebat in dies Prouincia, deficiebat ætas. Sed agnouit Franciſcus Borgia vniuerſæ Societatis moderator Caniſij occupationes, quibus vt illum ex parte leuaret, præfecturâ Sociorum Prouinciali tam diuturnâ & moleſtâ, tandem abire permiſit, quòd videret illius operam valdè neceſſariam eſſe ad comprimendum furorem hæreſiarcharum per omnes id temporis Germanias graſſantiũ, & concionibus vrbes, ſcriptis totas Prouincias corrumpentium. viſum ergo Põtifici Opt. Max. Pio. V. & Borgiæ totius Societatis Antiſtiti, alio Sociis in Germania præfecto, Caniſium ad ſcribendũ impellere. Quod ipſe fecit perlibenter, & Prouinciam regendorum Sociorum commiſit Paulo Hoffæo, qui vir quàm egregiè aptus ad id muneris fuerit, docent

ↄ I ↄ. I ↄ.
LXIX.

ea, quæ per annos duodecim in cura Sociorum geſſit, poſt quos, Romæ ipſi Societatis vniuerſæ præſidi conſultor haud paucos annos adſedit, vnde ad nos reuerſus, Germaniam ſuperiorem & ad Rhenum ſita Collegia viſitator luſtrauit, ac demum veluti emeritus miles datâ miſſione & armis ad aras ſuſpenſis, Ingolſtadij ad annũ ætatis quartũ & octogeſimum prouixit, ante annos amplius triginta quàm moreretur, dudum à medentibus, in ipſo præfecturæ ingreſſu conclamatus, & per Ioannem Raſtellum Anglum liberatus, qui ſe victimam pro Hoffæo per votum obtulit, vti ſi auctori vitæ videretur, Paulus viueret, ipſe vicariâ morte defungeretur. Ratum habuit Deus piam mentem patris, qui vix ædem ſacram exierat, ad quam pro Hoffæo peregrè ſupplicarat, cum è veſtigio morbo correptus, & domum æger deportatus, poſt paucos dies oppetiit,

tiit, & oraculum illud verè impleuit, *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Hoffæus illico conualuit, & exequi munus suum perrexit.

OTHONIS CARDINALIS PONTIFICIS AVGVSTANI ACADEMIAE DILINGANAE CONditoris mors & Elogium: Canisius comitia adit: opus Marianum edit.

CAPVT VI.

INter hæc Otho Cardinalis Maximus Societatis patronus, & Canisij cultor, de quo multa suprà & honorifica mentio, Romæ naturæ debito liberatur. Vir cōsilio magnus, nec minor pietate, idemq́ue maximus apud maximos Pōtifices & Cęsares auctoritate, inclitū sacri purpuratiq; Senatus Cardinaliū ornamētū, exēplū pręsulū, catholici nominis in Germaniis restitutor & cōseruator; quoq; maior

in pōtificatus & principatus gradu, tātò modeſtior in cōmuni domeſticaq́; vita. Nam vbi à publicis imperij & ſuę diœceſeos negotiis ad otiū domeſticum, quod illi penè nullū fuit, redijt, illico pauperū caſas ipſe corā adire, tenues familias familiariſſimè ſalutare, & quarum rerū indigerent, inquirere, argentū, frumentum, aliaq́ue vitæ præſidia, miſeris ſubminiſtrare. Nemo tā humilis erat fortunę, quē ipſe vel aditu, vel colloquio prohiberet; imò ſæpe vltro inuitabat, ægreq́ue ferebat, ſi qui in publicū prodeunti occurrentes, maieſtate viri territi longiùs de via decederēt; quos ipſe accerſitos vltrò compellabat, quamobrem filij patrē fugerent, quos ipſe quæritaret? Idem iuuentuti Germanicæ, cuius pietate, nobilitate, frequentiâ plurimùm delectabatur, Academiam condidit, Sociis qui illam regerent, & ad optimos mores ac diſciplinas erudirent, contuber-

nium

nium conſtituit, quod nuper Henricus Knôringius, quartus ab Othone Pontificatus Auguſtani Succeſſor, pius, ſapiens, & liberalis Princeps, æternis cenſibus firmauit. Idem Otho olim à furenti Lutheri ſectâ, cum toto Canonicorum conſilio, ordineq́; omni Eccleſiaſtico proſcriptus, boniſq́; omnibus euerſus, ſua auctoritate effecit, vt Caroli V. maximi victricibus armis, cũ Canonicorũ Collegio, cleroq́; reſtitueretur. Rudolphum poſtea Cæſarem, ante Mathiã hodie imperantẽ, Maximiliani patris miſſu in Hiſpaniã deduxit. Idẽ redux noſtrũ familiam Auguſtam adduxit, & in ædibus ſuis, quas olim Canonicus incoluerat, collocauit, omniq́ue ope contendit, vti nobis Collegium poneret, ſed diu impeditus, tandẽ ab illuſtri gente Fuggerorum collocatum, ſuâ liberalitate quoad potuit, iuuit, ornauitq́ue. Periiſſet Catholica Rhætia & Vindelicia, niſi maturè

his prouinciis hic cæleſtis Atlas humeros ſubiecisſet. Hæc ex plurimis & immortalibus eius operibus pauca libuit delibare, grataque memoriâ proſequi. Præmia religioſisſimo Antiſtiti cæleſtis munerarius dudum, vti certa ſpes eſt, amplisſima repoſuit, reponetque ſemper.

Anno deinceps ſexto & ſeptuageſimo, Comitiis ab Imperatore Ratiſponam indictis, Cardinalis Moronus Pontificis Maximi legatus, Caniſium in conſilium aduocauit, qui vtilem legato, proceribus, & populo publicè priuatimque operam nauauit; Indeq; Ingolſtadium profectus, quod prioribus annis elucubrârat, alterum commentariorum volumē, quo Virginem æternam Matremque Dei à calumniis impiorum acerrimo ſtylo vindicabat, edendum curauit, & Alberto Magno Boiorum principi, de Germania & religione Catholica præclarè merito nuncupauit.

FRI-

FRIBVRGVM NVITHONAE HELVETIORVM PROFICISCITVR.

CAPVT VII.

CVm anno, quemadmodũ explicatũ eſt, ſexageſimo nono Prouinciæ curas Paulo Hoffæo commẽdaſſet, quidquid otij à concionibus, cõſiliis, & aliis negotiis fuit reliqui, fuit autẽ perparũ, quod Præfecto Sociorũ Hoffæo Collega adiunctus, cũ illo Collegia obire & luſtrare cogeretur, totũ id quod à ſeptuageſimo ad octogeſimũ, decenniũ fuit, libris ſuis partim in lucẽ forasdatis, partim etiã dandis, recognoſcendiſq; impendit. Adulto iam anno octogeſimo, vltimoq; anni menſe, VII. Idus Dec. ipſo die S. Damaſi (qui Caniſium Nuithonibus dedit) à Franciſco Bonhomio Epiſcopo Vercellenſi, viro eximiis fortunæ, ingenij, & virtutis ornamẽtis exculto, Gregorij XIII. Pont. Max. ad Rhætos, Heluetios, Imperatorem

Rudolphum, & Belgas, legato ductus eſt Friburgum, vt ibi Sociis Collegium poneret, & ipſe quaſi fundamenti loco primus iſtic lapis poneretur. Eſt Friburgũ vrbs apud Nuithonas in Aueticis Heluetiorum, Allobrogibus & celtis proxima, diuerſa à Briſiaca, pomerij amplitudine ingens, morũ & ingeniorũ cultu emendata beneque morata, ex ariſtocratia & democratia cōpoſita. ſuis viuit legibus, regiturq; populus à Duũ viris, ſenatu & tribunis plebis. Conditorē laudat Bertoldum IV. Zeringiæ Regulum, & Burgundiæ Transjuranæ præſidem, qui ante annos admodum quadringentos quatuor & triginta, primum vrbi locum in editâ rupe cepit, quam flumen haud totam tamen ambit, vndepotiſſimum illi nomen, quaſi diceres arcem libertatis, ſenſim poſtea deſcendens latè complexa flumen ſe ipſam propagauit, rurſumque altiùs excreſcens mœnia pro-

promouit. Zeringiorum ſtirpe in filio, qui Bernatibus vrbem cõſtituit, defecta, in Friderici II. poteſtatem teſtamento venit, ab illo ad alios atque alios dynaſtas ac dominos, demumq́; ad Allobroges deuoluta, à quibus tandem exempta, vt partam iure libertatem tueretur, ſe cum reliquis Heluetię liberis & fœderatis populis coniunxit. Priore ſæculo, cùm infamis Zvvinglius fæda hæreſeos labe magnam gentis partem inquinaſſet, ac ipſe cum deſertoribus auitæ religionis, non paucis in bello ciuili quod claſſico accenderat, periiſſet, aſſeclæ tamen eius, errorem ſuũ perſeuerarunt, & periculum erat, ne Friburgenſes etiam vndiq́; cincti ſectis à vicinia traherentur, rectoq́ue à tramite veteris & Catholicę diſciplinæ auerterentur., Sed fides & conciones Eccleſiaſtarum, prætorumq́; & ſenatus conſtantia, iuſſis faceſſere Zvvinglianis, peruicere, priſcam-

que religionem mordicus retinuerunt. Vt ergo populus de cętero quoque labem nullam acciperet & circumstrepentium rabularum fremitu non turbaretur, visum è Repub. Friburgēsi fore, si Societati Iesv cōtubernium illic figeretur, à qua iuuentus ad priscæ religionis fidem & optimos mores, optimasque litteras informaretur. Bonhomius igitur Pontificis ad Heluetios legatus, anno post Virginis partum cIↃ.IↃ.LXXVIII. & sequenti, mirificè in Ecclesiasticorum Friburgensium animos se insinuauit, præsertim verò cum ædis summæ Pręposito Petro Schneulino viro Reuerendo, & veteris doctrinæ Catholicæ retinētissimo summam familiaritatem contraxit, cum eoq; in commune concilium posuit De Societate Friburgum introducēda, per quam senatui populoque Friburgensi, quà de religione, quà cæteris optimè cōsuleretur. Ac tū deinde

cum

cum ciuili Magiſtratu, eoq; res deducta, vt conflagrati cuiusdã Cœnobij adeoq; propè deſerti area fundusque cum annuo cenſu Sociis in victũ & cultũ aſſignaretur. Ad quam rẽ haud parum conſiliis & opera ſua contulerũt primores ciuitatis, viri illuſtres Ioãnes Heidius Duũ vir ſeu prætor, Guilielmus Krummeſtallius, Petrus Quẽtius à medẽdi arte clarus, Chriſtophorus Reiſſius. Hi omnes, vt eſt in monumẽtis Friburgẽſis Collegij; Sociorũ res curandas Bonhomio legato cõmiſerũt, qui apud Greg. XIII. rem confecit, & Caniſiũ anno CIϽ.IϽ LXXX. ſecum Friburgum deduxit.

Tranſeundi erant Bernatiũ fines & ciuitas fęda Zvvinglii & Caluini lue inquinata, cùm explorator itineris & inſidiator dæmon facilè coniiceret, non è re ſua fore illã Epiſcopi & Caniſij profectionẽ, parum abfuit, quin vltimo viatores exitio inuolueret; iniectis enim à turba manibus, conni-

uente Senatu, populo mox ludibrio fuêre, cũ eodem die effuſi ad ſpectaculũ latronis rota perſtringẽdi, pars niuiũ globos in eos iacularẽtur, pars raparũ moles intorquerẽt, pars ocreas cœno infarcirẽt; quas illi indignitates pari tũ cõſtantia animi, tũ patiẽtia pertulêre: Bonhomius tamen Antiſtes ampliſſimus, Cõſules & Senatũ oratione prudẽti & modeſtâ ita perculit vti mox illos facti pœniteret: Nec impunè tulit Albertus Stahel. ſordidiſsimus cerdo, improbũ caput, & auctor cõcitatæ turbę, qui ingreſsis in vrbẽ peregrinis, ſeditionẽ mouere cœpit, & palã vociferari; hoſce potiùs, quã latronẽ illũ, qui tum palã ad ſuppliciũ raptabatur, cruce dignos; & mox egredientis Epiſcopi mulã cauda prenſam euertere, vehẽtemq; excutere, nequicquã conatus, vertẽte anno ipſe fœdiſsimus homo, reus turpiſsimi inceſtus, capitali ſupplicio mactatus, cæleſti vindicta ſacrile-

crilegum caput,vt ſolet,perſequente interiit. Bonhomius vbi cũ Caniſio Friburgũ attigit, cum ſenatu Bernatium per literas de iure gentiũ, quo legati etiam apud paganos & hoſtes defundũtur,expoſtulauit,qui ſe purgare, quod paria apud alios populos expectare poterat, non omiſit.

Subijciã hoc loco, quid reuerẽdus & doctrinâ iuxta ac ſacrâ Præfecturâ vir clarus,Sebaſtianus Veronius Friburgi ad S.Nicolai Prępoſitus de aduẽtu Caniſij,quo reliquis poſtea annis familiariſſimè eſt vſus,annotarit: *Cùm inquit, ciuitati Caniſium ſiſteret Epiſcopus;En,ait,inter cætera,habetis Friburgẽſes gemmã,in theca ſerica,virũ in bõbice ſeruãdũ. Quæ porrò fuerit Ciuitatis gratulatio,quis amor in Caniſiũ,lacrymæ loquãtur,quæ eo mortuo ciuium oculos irrorarũt. Nec verò Petrus,tametſi affecta ætas præteritis laboribus finẽ ſuadebat,ſibi quieſcendum putauit.Cõcionatus eſt, donec tandẽ æ-*

tatis grauitate oppressus, non tam quieuit, quã laboribus omnino exhaustus, laborũ reliquiis, id est, morborũ tolerãtiâ patienter est exercitatus, vt adeò sciret Collegium Friburgense sui institutorem per omnia fuisse probatum, vt omnes DEO lucri faceret. Hæc Veronius.

COLLEGIVM FRIBVRGENSE INCHOAT.

Capvt VIII.

VIx Canisius Friburgum ingressus erat, cùm mox in assignatã sibi D. Nicolai primariã Cathedram progressus, *nunquam enim virtus est otiosa,* sex ipsos annos Senatum populumque Friburgensem ad cælestis vitæ spem, morum disciplinam, & religionem constanti animo profitendam instituit. Tum deinde morbo correptus, qui mentem illi propè eripuit, à dicendo abstinuit. Veronius

nius valetudinis causam in senectã ætatem, vitæ seuerioris disciplinam, ieiunationes & curas ex obstrepentium quorundam Sociis maleuolentia natas confert. Sed post triennium receptis viribus ad institutum rediit, populumque erudire pro concione perseuerauit. Ciues vt viri innocentiam, morum suauitatem, eruditionis excellentiam, cum pari modestia & prudentia coniunctam perspexêre, de tota Societate ex vno velut indice existimarunt, & magnopere Sociorũ operã sibi præsentẽ exoptarunt, impetraruntq;. Designatâ pòst in domiciliũ sede percõmodâ, & ab opificũ strepitu remota, in loco vrbis editissimo fundamẽta Collegij Canisius ipse applaudente ciue feliciter iecit, quæ paullatim ad iustam altitudinem (quamuis sæpe opus aduersariis Societatis interpellantibus) surrexêre; demumq; anno CIƆ.IƆ. XCVI. in perfectum Collegiũ

Sociis

Sociis immigrantibus, Canisius frequēti populo primā in sacello tumultuariè ad Musei aditū excitato concionem habuit;quæ simul illi vltima fuit, anno, antequā de statione vitæ decederet,duntaxat vno.Lēma concionis erat instituitæ Societatis ratio, viuendi modus,finisq́;,studia docēdæ iuuentutis, erudiendi pro concione populi,eiusdemq́; per confessionem expiandi, subleuandi in valetudine, firmādi in morte,solandi in ægrimoniis, reducēdi ab hæreseos erroribus in viā, aliaq́;hoc genus pluria. Fecit postea gradum ad Magistratus, quo consilio ad excitandam tā nobilem, amplam & sumptuosam molē edificij fuerint impulsi; promissi demum conatus nostri ad vniuersam Reipub.& singulorū salutē procurandā. Secundū rem diuinam (in qua præter ordinē Ecclesiasticū, Vicariū & Præpositum;Duum viri,aliique viri principes ciuitatis interfuerunt)itū ad re-

ad religioſam menſam, exceptique ijdem pro copia inopiæ noſtræ liberaliter, quodque defuit in epuli ſplẽdore, ſupplerunt tres oratores, qui aures paſcere conuiuarum gratâ beneficiorum in nos commemoratione, aliiſque rebus exponendis, quæ ad rem præſentem faciebant, conati ſunt. Certè gratum id fuiſſe officium auditoribus declarauit prætorum alter, quando copiosè reſpondit ipſe, promiſſa etiam ampliore curâ tuendæ & ornandæ Societatis. Quanta porrò ciuitatis in Caniſium pietas ac ſtudiũ fuerit, vix dici crediué poteſt. Illa in primis: nunquam ipſos voluiſſe ſe illius præſentiâ priuari, eo potiſsimùm conſilio, quod cùm nullum in ſua ciuitate viri ſancti corpus haberent, hunc, quem viuentem tantâ inter ipſos tam admirandâ ſanctitate fulgentem viderent, permittere nollent alia in ciuitate, aut apud alios depoſiti ſui monumen-

numentum relinquere, vt post eius mortem, quot essent in ciuitate homines, tot haberent illustres sanctitatis primùm spectatores, postremò etiam testes oculatos. Quid dicam quanto illum studio dicentem audierint? imò & videre desiderarint? Quamprimum cognitum est Canisium in concionē proditurum, quamuis senem & viribus, & voce, & lateribus defectum, ingentes omnium ordinum concursus fiebant, non ad eum audiendum tantum (quamuis extremis annis peræg rè, præsertim à paullo remotioribus vox debilior acciperetur) sed ad cælestem illam faciem senio & religione venerabilem contemplandam, tota Germania iam olim & notā & spectatā, cuius solo aspectu mirâ quadam dulcedine delectari, sed nunquam satiari poterant.

EXTRE-

EXTREMVS VITAE ACTVS.
CAPVT IX.

MVltum debemus diligentiæ & ſapientiæ Veronij, paullo ante laudati, qui non ſolùm dicta factaq; ſub extremã eius ætatẽ prudẽter obſeruauit, ſed & in literas miſit. Ex quibus potiſſimũ, quod deinceps dicturi ſumus, tanquam præſentis, oculati & iurati teſtis tabulis hauriemus. Quãquam & alij permulti hodie viuunt, qui narrationem meãverã ſinceramq́ue arbitrari poterunt. neq; enim adeò multi à morte Caniſij fluxêre anni, quãdo hic ſextus decimus agitur, cũ hęc literis conſignaui. Debilitato corpore & robore maximis laboribus, cũ ipſis annis exhauſto, vigor animi nõ ſolũ hebetatus nõ eſt, ſed ita recens, præſenſq;, vt quo magis ætas ingraueſcere, hoc magis ille iuueneſcere & refloreſcere videretur. Quid enim hoc vltimo vitæ decẽnio non elucubrauit? quãdo inter

hæc

hęc aſsiduo precandi ſtudio deditus, ante meridiē horas omnino quaternas, ternas ſecundũ prandiũ, partim rerũ diuinarũ contemplationi, partim legendis Pſalmis tribuebat. Auguſtam ex Heluetiis tertio & octogeſimo milleſimi quingenteſimi ad conuentũ Sociorum euocatus venit, & gaudio non Sociorũ tantũ, ſed familiarium omniũ, illuſtris præſertim matronæ Sibyllæ Fuggeræ incredibili gaudio, & veneratione exceptus eſt. Vbi & Socios grauiſsima adhortatione domi (quã ego tum tiro Societatis audiui) vt ad ſtudiũ meditandi excitaret, commonefecit, vehementerque cohortando aſſeuerauit, nos ad vltimũ Chriſti tribunal cauſam dicturos de hora rebus diuinis contemplandis aſsignata, ſi illam vel otiosè & ſegniter tranſigeremus; vel neglectã omnino præteriremus. Idẽ, vt cũ Caniſio Friburgũ reuertamur, quidquid à cultu numinis reliqui tẽporis

poris habuit, id omne ferè in ſacrarũ literarũ cognitionẽ, librorũq; cõponendorũ laboréſtudioſiſsimè cõtulit, vti tam prodeſſet abſens poſteritati ſenex, quàm iuuenis olim profuiſſet præſens. Reuocauit deletos propè ex hominũ memoria ſanctorum ac tutelarium Heluetiæ præſidũ res geſtas: ſancti, inquam, Fridolini Claronenſium & Seckinganorũ apud ſuperos aduocati: S. Beati, qui primus ad Heluetios legem Christianam attulit, quẽ præ cæteris veneratur Lucernẽſis Reſpublica, cum iis qui Arulam flumen colunt: S. Vrſi inter purpuratos cæli proceres illuſtris, cuius patrocinio Solodorenſes gloriantur: S. Mauritij cũ fortiſſima legitione ſua apud Valeſios potiſsimùm venerãdi. Meditatus eſt, & ſuper Euangelijs Notas & Conciones, & precationum quotidianarũ Enchiridiõ. Nec oblitus eſt reginarum, quæ Ferdinando Imperatore natæ ex prima Caniſij inſtitu-

institutione Halę ad Oenum sanctissimâ vitam degebant, Paræneticum patriâ linguâ conscripsit, quo totius vitæ Christianæ perfectionem complexus est. Eodem tẽpore varias Epistolas in omnẽ Germaniã, partim ad amicos & domesticos, partim ad illustres viros & matronas, quibus vel ad salutis æternæ præmium consequendum præcepta dedit, vel in fortunæ aduersæ statu deprehensos ad animi æquitatem erexit, vel vltimis morborum cruciatibus afflictos consolatus est, cuius rei testes hodie literæ complures ad Gregorium Roseffium, vsque ad vltimum vitæ spatium exaratæ leguntur. Testes ad Octauianum Fuggerũ, DuũVirum vrbi præfectum, Testis etiam ad vtrumque Marcum Velserũ, seniorem inquam, & religiosâ potiùs quàm ciuili vitâ perfunctum; & alterum ætate minorẽ, dignitate eruditione & ciuili magistratu illustriorem,

orem, qui hodie Duum vir rempub. Auguſtanam cũ ſuo Collega Io. Iacobo Remboldo adminiſtrat, quem noſter frequentibus literis ad ſcribendum, & ſanctos viros olimq́ue Auguſtæ florentes è tenebris eruendos pro honore & tutela patriæ cohortatus eſt; vnas duntaxat fidei cauſſa ſubdam.

PAX IESV CHRISTI NOBIS AETERNA, MAGNIFICE DOMIne Conſul.

PRudenter factum arbitror, quod ſit viſum Auguſtano Senatui, vt ad conſularẽ dignitatem deligereris, eamq́ue tibi & huic inclitæ Reipub. ſalutarem fore confido. De literis tuis ad me humaniter ſcriptis gratias ago, quibus & munus egregium adiunxiſti, vitam nouam viri ſanctiſſimi VDALRICI, eamq́ue typis excuſam eleganter Auguſtæ, vbi antea nullus vel exiguus erat vſus chalcographiæ. Ea res auget nobis fiduciam fore vt Catho-

Catholicismus paulatim istic efflorescat, Deo Opt. Max. auxiliante. Nec dubito fructi ex hac historia proditurum, quæ non Augustanos modò, sed exteros etiam variis de rebus vtiliter moneat ac instruat. Suo palato seruiant homines delicati; tuũ ego iudicium probo, quod veterem vitæ huius editionẽ bonâ fide seruaris, nimirũ vt venerandæ antiquitati suus locus honosq; cõstaret, ac vera potiùs, quã diserta in lucẽ prodirent. Atque vtinã plures idgenus historiæ de sanctis & antiquis Germaniæ nostræ pastoribus ac Episcopis euulgarentur. Optamus Antuerpiæ typis excudi, quod promissum fuit opus de Diuis Belgicis, multoque magis desideramus absolui non modò sextũ tomum, sed integrũ quoq; opus C. Baronij venerandi senis, quem diuina bonitas nobis & Ecclesiæ diu sospitẽ conseruare dignetur. Quum ad illum Romam scripseris, reuerenter ex me salutetur, quæso. In illo & per illum perficiat Christus, quod

egregiè

egregiè cœpit ad communẽ ædificationẽ Ecclesiæ suæ. Verũ auguror fore, vt posterior Annaliũ pars tantò illi plus negotij adferat, quanto frequentiùs tractandæ fuerint controuersiæ non leues, quas petulanter satis iniiciunt aduersarij pro suis Cæsaribus pugnantes mordicus, & ad Pontificum inuidiam cuncta detorquentes.

Rogo iterum, vt Magnificum Dn. Ioannẽ Velserum, & D. Marcum, aliosque vestræ familiæ patricios, amanter ex me salutare digneris. Amaui & amabo in illis præclaram Catholicæ fidei constantiã: agnosco simul veterem illorũ erga me beneuolentiam & humanitatem, quæ gratã & iucundam memoriam illorũ refricat mihi, simulq́ ad Deũ pro iis inuocandũ calcar addit. Pergant, obsecro, suæ vocationi in timore diuino satisfacere, suæq́ patriæ hominibus opitulari, tum de Augustanis hoc difficili tempore, quo Deus iratus peccata nostra castigat, benè mereri contendant. In

Fuit hic Ioannes Velserus Duumvir, nostri Antonij pater.

Christo Iesv *bene vale, Magnifice Domine cum tota familia tua, & me semper tibi tuisque commendatum habe sin, - per. Friburgi Heluetiorum* 13. *Iunij anno salutis nostræ* 1595.

. *Præterieram ferè sanctũ virum, & perpetuâ memoriâ dignum, licet sæculo nostro incognitũ, vereq; catholicũ confessorem Gualdfardũ, cuius præclarã effigiẽ abs te missam libenter accepi. Dignus est sanè, qui reliquis Ecclesiæ Augustanæ patronis adiũgatur, & quotãnis die certo in Ecclesia celebretur: potissimũ verò ab Augustanis Catholicis in pretio habeatur. Deo gratia, quod hunc nobilem Christi militẽ velut è tenebris in lucẽ protrudis, tuãq; patriã hoc illustri ciue proposito, spectabiliore efficis.*

Magnũ sanè præsidium senectutis in literarum meditatione, quæ cum illo consenuerant, expertus est Canisius, vti ferè præclareque dictum sit, à sapiente, *Studia senibus pro viatico.* Defunctus enim Canisius iis labori-

boribus, qui robur & latera desiderant, gratissimũ in voluminũ sacrorũ tractatione quietis portũ inuenit. Ita ritu priscorũ ferè anachoretarũ, extremam ætatis partẽ in priorũ votorũ religione & scriptorũ euolutióne cõsumpsit, vt à precãdo fessũ lectio reficeret, & lectione fatigatũ precatio gratâ vicissitudine recrearet.

MORS CANISII.

CAPVT X.

FLectebat sensim Canisius ætatis decursu vitæ metam, anniśq; iuxta ac laboribus fassus, senectâ iam ætate paullatim cęlum spectabat, peractâ iã suâ fortunâ felix. poterat enim cũ D. Paulo verè exclamare: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, dereliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex*. Cupiebat ergo dissolui, & esse cum Christo, pro quo tot labores, annos amplius sex &

ſeptuaginta exhauſerat. Valetudo eus præteritis annis conſtans & firma, tum primũ tentari grauiùs cœpta, cùm ſeptimum ſupra ſexageſimũ annum ingrederetur, quo tẽpore ſe cõcionãdi munere abdicauit, ſimulque tam periculoſo morbo correptus eſt, vt læſo cerebro, multis è poteſtate mentis exijſſe crederetur. Collegit tamen ſeſe, & ad vſitata ſtudiorum & precum officia mox reuertit. Sed morbo reciprocante identidem in lectulum reiectus eſt: nec ita reualuit, vt priſtinum corporis vigorem recuperaret. Iam ſcipione niti, iam incuruus incedere, ac terram ſpectare, animo verò ad cæli templa toto pectore aſpirare. Sanè ſi vires corporis & conſtitutionem naturæ attenderes, multorum judicio æuum in longè maius ſpacium propagaturus videbatur. Sed vigiliarum excubiis emaciatus, menſæ tenuitate exhauſtus, peregrinatio-

tionum & itinerum moleſtiis fra-
ctus, & quod caput eſt, cruce illa,
quam ſenſibus iam pridem defixe-
rat, mactatus, vt *granum frumenti*
in terram cadens fructum multeſimũ
afferret, nō potuit ad naturæ metas,
quas illa fortaſſe longiore interuallo
poſitura fuerat, penetrare, cōpendio
nempè viæ breuioris ad cælum per
ſui victoriam reperto. Primum om-
nium Anno Chriſti CIↃ. IↃ. XCVII.
quo vitâ exceſſit Caniſius, pedes,
quibus tot terrarũ ſpacia haud paucis
annis emenſus erat; fungi officium
ſenſim recuſabant, vt ipſe in literis
ad Gregorium Roſeffium eodem an-
no tremente iam dextrâ ſcriptis nar-
rat: *En, inquit, rudis charta ſenili ma-*
nui propè reſpondet; ignoſcat quæſo cha-
ritas tua imperitiæ & inciuilitati meæ.
Labores quadrageſimales vti confido
feliciter confeciſti, & ad Paſchalem
quietem cunctis gratam emerſiſti, in
quâ cupio te rectè valere: Senſi ego &

 ſentio,

ſentio, pedes meos officium ſuū non facere, vt aliquando ſit difficile ſacrificare, fortaſsis non diſpar imbecillitas Ingolſtadij quoq́ue proſternit fratrem atque Rectorem. Benedictus fons ille bonorum, per quem augentur ſenibus torpor, faſtidium, obliuio, iniuria, moleſtia, & reliqua id genus incōmoda, quæ nos in fragili tabernaculo habitare, & ad meliorē vitam tendere hortātur. Age pater, communes illi agamus gratias, in cuius manu ſortes noſtræ verſantur, & cuius operâ florentē Auguſtam tot iam annis experimur: Vidimus Truckſeſsios, Fuggeros, Rellingeros, Welſeros, alioſq́ue patronos inſignes & amicos, quorū beneficentiæ multa debemus. Præclaris horum veſtigiis imitandis inſiſtamus, vt de tanta Repub. benè mereamur, ad quam ſubleuandam mirabiliter ſumus cooptati. Tam commodè habitatis, fauentes ac læti auditores diſcipuliq́; ſuppetunt, augetur & piorū numerus ad nomen Domini in vero Eccleſiæ ſpiritu collau-

collaudandum. Igitur ſingularem Dei gratiã agnoſcamus, quo duce inter impios læti cõuiuimus, pueros & ſenes instituimus. Eccleſiæ Sacramenta diſpenſamus, libros tali emporio dignos cõſcribimus, Clerum ac populũ de pietatis officio admonemus, ac demum hanc Vindelicorum Auguſtam Deo ſummo magis magisq; lucrifacimus. Veſtri Collegij Sacerdotes, ac fratres, quorũ chara eſt mi hi memoria, optimè valeant cum patronis & amicis vniuerſis. Tuam ſalutẽ cura diligenter, nullã vt locum tribuas triſti puſillanimitati; meiq; memoriam tuis precibus interponere nõ graueris, oro. Friburgi Heluetiorũ 20, April. 1597. In eandem ferè ſententiam ad Collegij Auguſtani præſidem Georgium Schretelium. eodẽ anno pridie Kal. Octobres literas dedit.

Idem queritur in Epiſtola ad Theodoricum Caniſium non toto menſe ante mortem data. Pedes ergo, quarto ante ſupremum eius diem

menſe, ſuffuſâ intercute vndâ, intumeſcere cœperunt, qui & ſenſim reliquum corpus in eandem labem traxêre: ſtomachus auerſionibus laborare, & crebros ciere ructus, vt etiam fauces exulcerarèt. crebriùs tamen ſedebat per diem, quàm lecto decumbebat, quo maximè vrebatur; nec morbi genus ſine graui labore lectum admittebat, quod in hydrope non ignotum, quando humoris copia iacentis cor petit, & meatus pulmonum liberos intercludit. Viſerat ad illum paulò ante Ioannes Comes Turrianus, Epiſcopus Viglianus, quî cum multa familiariter tractarat: à cuius digreſſu mox fatali ægritudine contactus, & ſacras ex ritu Eccleſiæ preces recitare prohibitus; quod vnum ęgro relinquebatur, animum cæleſti contēplatione paſcebat, ſeſeque Numinis curæ totum permittebat, cùm ſubinde dictitaret, magnas ſe Deo gratiás

tias debere, quòd extremos vitæ dies more maiorum & Sanctorum Patrum exemplo, non ſine magno corporis cruciatu tranſigeret: ſingulis mortaliũ æternâ lege præſcriptum, quibus initiis vitam ordiantur, quâ ſorte ſpatium æui decurrant, quo denique lethi genere ad metam perueniant. Quadrimeſtre in hoc morborum conflictu jactatus, cùm qui medicinam illi faceret, deſideraretur (quod anno ſuperiore Petrus Quintius diſciplinæ medendi in paucis gnarus, & Caniſij ſtudioſiſſimus fatis conceſſiſſet) nihil, inquit, opus ſilicernio medicamentis; ad plures eo. Pridie ergo eius diei, qui S. Thomæ ſolennis eſt. Martino Lycio Collegij Moderatori animaduertenti Caniſium collapſis viribus etiã linguæ vſu ex deſtillationibus propè deſtitutum (quod ægrè loquendo, vox ægriùs à circumſtantibus acciperetur) admonenti de animo ad ex-

tremam mortis luctam confirmando videri vltimum illi vitæ discrimē imminere; promptus annuit; imò vltro petiit; & postridie, qui Dominicus erat, cælesti Synaxeos epulo pastus iacuit supinus in rerum diuinarum meditatione vsq; ad meridiem assiduè defixus. An cælesti aliquo Virginis ac Matris Dei, (cuius laudes ingenti volumine celebrârat) viso exhilaratus, incertum; oculis certè in eam gratulantibus intentus, renidente vultu, cœpit illā Angeli verbis salutare, & coronā legere. Interuenientem postea virum clarum & Canisio familiarissimum Ioannē Wildium hodie Prætorem, seu Duum-virum & secundum hunc, Sebastianum etiam Veronium propter lectum assistentem, preces ad Deum pro se viuo mortuoque fundendas poposcit, nec verbum amplius adiecit; sed ex libello precationū vsu diuturno propè attrito, vota ad Deum vlti-

vltima admodum attentus præſe miſit, inter quæ cùm & manus fluerent, & ſenſus omnis extingui videretur, rogatus, an ſacro oleo, quod ſupremum depoſitis eſt præſidium, vellet inũgi? nutu affirmauit. Sodalibus ergo in decumbentis cõclaue coactis, lectumq; certatim ambientibus, inter vota preceſq; Patrum, duorumq; è S. Franciſci Sodalitate Cappucinorum, & Chriſtophori Reiffij viri Senatorij, Antonij Montenachij Archigrammatei, è feſſo victoq; laboribus ac morbis corpore, ſpiritũ velut è vinculis expeditũ auctori vitæ, ante quartã pomeridianã cõmendauit, ipſo die S. Thomæ anno partæ ſalutis CIↃ.IↃ.XCVII. cùm vixiſſet annos LXXVI. menſes VII. dies XIII. Poſtridie funus in ædicula Collegij expoſitũ, totam ferè vrbem ad ſpectaculũ adduxit, quæ velut commune gentis & ſingularem ciuitatis patronum, ac parentem deplorauit.

Ad ſolem inde occaſum, delatum ex domeſtico ſacello in principem vrbis ædem S. Nicolai, poſt funebrẽ laudationem à Sebaſtiano Veronio ſummi templi Præfecto frequentiſſimâ concione dictam, octauâ horâ ſub atram noctem ſidus illud Germaniæ & illuſtre totius Societatis iubar, tumulo ad ſummi altaris primum gradũ, vbi Sacerdos litaturus conſiſtit, quando ſacrum inchoat, medio choro illatum, monumento ad latus à Ioanne Wildio viro illuſtri hodie Prætore condito, & hâc Epigraphe à Veronio inſcripto, &c.

D. O. M.

Venerandvs in Christo Pater
PETRVS CANISIVS THEOLOGVS
NOVIÒMAGI NATVS
SOCIETATEM IESV

TER-

TERTIO A CONFIRMATIONE ILLIVS ANNO
INGRESSVS
AC SACERDOTIO INSIGNITVS
OB MAGNI SIMVL ET PLACIDI ANIMI
PRAESTANTIAM
A COLONIENSI ECCLESIA AD CAROLVM V. IMP.
AB OTHONE CARDINALI AVGVSTANO
AD S. CONCIL. TRIDENT.
A CAROLO V. IMPERAT. VORMATIAM
CONTRA MELANCTHONEM HÆRETICVM.
A PIO IV. PON. MAX. AD PRINCIPES GERMANIÆ
IN FIDE CONFIRMANDOS
MISSVS.
POSTQVAM ROMAE IN SICILIÆ ET GERMANIAE
ACADEMIIS DOCVISSET
DIV APVD FERDINANDVM IMP.
ET PASSIM SVMMA CVM LAVDE.
VERBVM DEI PRAEDICASSET
PRIMVS PROVINCIALIS SOC. EIVSD. IN GERMANIA
AB IPSO SOC. AVCTORE P. IGNATIO
DATVS FVISSET
SCRIPTISQVE FIDEM CATHOLICAM
EGREGIE ILLVSTRASSET
AVSPICIIS REVERENDI D. IOANNIS FRANCISCI
EPISCOPI VERCELLENSIS NVNCII APOSTOLICI
FRIBVRGVM SEXAGENARIVS VENIT
COLLEGII SOCIETATIS FVNDAMENTA IECIT
MVLTA PRAECLARA DOCVMENTA DEDIT

ET QVASI QVIDAM FRIBVRGENSIVM PATRONVS,
ECCLESIAE PER HELVETIAM PATRIARCHA
RELIGIONIS CATHOL. SVI TEMPORIS COLVMNA
TOTO CHRISTIANO ORBE NOTISSIMVS
FIDE PRVDENTIÀ INDEFESSO SCRIBENDI LABORE
ABSTINENTIA PERENNI GRAVITATE
ANIMI PVRITATE
FLAGRANTISSIMO DEI AMORE
MVLTAQ. SANCTITATE CLARISSIMVS
MIGRAVIT AD CHRISTVM
FESTO S. THOMAE APOSTOLI
CIↃ. IↃ. XCVII. ANNO ÆTATIS LXXVII:

Cæterùm corpori humi condito imminet candidum marmor, quod germani fratres quatuor, viri nobiles amoris & cultus aduersus Canisium & Societatem argumentùm cum hoc Epithaphio fieri curârunt:

MONV-

MONVMENTVM VENERANDI PATRIS NOSTRI PETRI CANISII SOC. IESV THEOLOGI

NN. NIC. ROCH. GEORG. PET. FRATRES A DIESBACH. POSS. M. D. XC. VII.

FORMA CORPORIS ET FIGVRA.

CAPVT XI.

QVamuis in frõte libri ex deſcripta imagine formam Caniſij expreſſerimus, iuuat tamen eandẽ hîc calamo quaſi ſuis depictã coloribus illuſtrare. Staturâ fuit ex mediocri magis ad proceram accedente, vultu ſemper ad modeſtam & religioſam graui-

grauitatem composito, acie oculorum acri, & infinitâ lectione nunquã hebetata; quamuis læuus nota maculosus esset, fronte porrecta & oblonga, coma quam alebat, nigricãte, & canis etiam in vltima senecta admodum raris aspersa. Sermone vtebatur leni, lentoq; & benigno, vehementi tamẽ & acri in delinquentes. Habitus gestusq; corporis optimè respondebat religiosæ & promissæ vesti. Memoria vnico doctrinæ thesauro, viguit adeò felici & fideli, vt non facilè eam vel auctorum copia obrueret, vel rerum cognitarum lectarumque varietas confunderet. Cùm primis mensibus ab aduentu, Sebastiani Veronij victu tectoque vteretur, rogatus ab eodem locum è D. Basilio, quẽ Veronius meminerat, nec inuestigando reprẽdere poterat, illicò citra vllũ aliud memorię adminiculum indigetauit, libro simul & capite, quo de re quæsita agebatur,

ex-

expreſſo. Mirari poſſis & gratulari hanc illi felicitatem, cùm inter tot negociorum tam diuerſorum cauſſas illa non eſt labefactata, quando ſimul prouinciam Sociorum procurauit, ſimul pro ſuggeſtu populo legem Chriſti explicauit, ſimul tot & tam magna volumina cõdidit. Nempè munerum cæleſtium & diuinorũ auctor DEVS, pro tanta ſapientia, quâ pectus eius inundarat, etiam amplum pro tanto theſauro receptaculum aſsignauit, ex quo velut ex perenni fonte hauriret, quod diceret, ſcriberet, cogitaret, actitaret.

LIBRI SECVNDI

FINIS.

DE VITA R.P. PETRI CANISII

LIBER TERTIVS.

Capvt I.

PIETAS, ET RELIGIO CANISII.

VTi pleriq; veterũ heroum futurę vel fortitudinis vel claritatis in ipsa propè infantia, aut certè pueritia prodidêre indicia; quemadmodũ de Alexandro, Scipione, Hannibale, Iulio, Augusto (ne de Hercule, Achille, Cyro, quæ fabulosa videri possunt, memorem) narrant scriptores; Ita viri sancti, in tenera iam tũ ætate futuræ olim sanctimoniæ & religionis argumenta præbuere, è quibus sapiẽtes coniicere poterant, ad quod vitæ genus, quãq; virtu-

virtutis, vel eruditionis, vel eloquentiæ laudem quiſque eſſet aſpiraturus. Ita ludicra S. Athanaſij pueri verterunt in ſeria: Ita S. Edmundi Archiepiſcopi, S. Vincentij, Bernardini, aliorumque initia pietatis, futuræ claritatis indicia cognouimus, cùm ipſi adoleſcentuli puerorum cœtus cogerent, & velut iam tum Eccleſiaſtæ ſedilia altiora tanquã ſuggeſtum conſcenderent, ac de rebus diuinis ad eoſdem verba facerent. Ita Caniſius puer in ædibus paternis æqualibus ſuis è ſede veluti pro concione viuendi præcepta dedit, quæ primus ipſe ſtudiosè obſeruauit. Nam & florem corporis illibatum DEO admodum iuuenis conſecrauit, & in omnẽ vitã cuſtodiuit, ne vel minimâ labe impuritatis aſpergeretur. *Maturus eram,* inquit ipſe, *puer, cùm in templo Nouiomagenſi, quod B. Stephano Protomartyri ſacrum eſt, aliquando precarer, & tuum ſacroſanctũ corpus, Domine,*

ne, prope ſummũ altare ſupplex adorarem: obliuiſci non poſſum gratiæ, quàm tu puero tribuiſti mihi. Nã anxiè quidẽ & nõ ſine lachrymis vt opinor, te inuocabam, & deſideriũ meum aperiebam præuidens iam tum, neſcio quomodo, & mundi vanitates, inſaniaſq́; falſas, & vitæ ſalutiſq́; meæ permulta pericula, & obiectos vndiq́; laqueos venantium, vt hinc pauci effugere poßint. Igitur vt periclitanti adeſſes, orabã, illudq́; dicere videbar: Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me, quia tu es DEVS Saluator meus. *Ac poſtea cùm apud aureos Martyres Coloniæ degerem, ſenſi hoc votum in me ſæpius renouari, vt peterẽ anxius gratiâ tuâ duce certum mihiq́; ſalutiferũ vitæ genus demonſtrari. Credo certè hunc ſpiritũ timoris, piæq́; ſollicitudinis tu peperiſti, tu conſeruaſti, Domine, vt ætas lubrica, & vltrò laſciuiens timorẽ pædagogum atq́; cuſtodem haberet, & ego ad vias prauas minùs dilaberer.* Confige-

figebas enim timore tuo carnes meas, vt à iudiciis tuis inciperem formidare. *Atq; in hac ipsa ætate sum expertus, quod haud sine angelo tuo custode meo factũ arbitror vt rerũ sacrarũ imaginibus, ac tẽplorũ cærimoniis subinde delectarer. Igitur sacrificantibus aliis, libenter inseruiebam. Imo sacerdodotis personam mihi sumebam puer, & illius æmulabar officiũ cantando, sacrificando, precando. Exprimebã, vt poterã, coram æqualibus ea munia, quæ sacris operantis sunt propria. Videantur hæc studia prorsus puerilia, sed in quibus aliquãdo tamen apparet futura mẽtis indoles & mirabilis prouidẽtiæ tuæ ratio à sapientibus cernitur atque comprobatur.* Hæc ipse de se puero Canisius senex in libro confessionum, quẽ è Landspergensi domo, cui illum dedicauit, accepi. Anconæ cum Augustano Episcopo Romam petente, moratus; inter vota nouo lumine mentis illustratus in sui cognitione & con-

CIƆ.IƆ.LXVIIJ.

& contemtione mirificè profecit, eáque cælestem gratiam ipse magnoperè prædicauit. Reperio in chartis ipsius manu scriptis legẽ ab ipsomet sibi dictã, vt ante sacrificium à studiorum quáuis cælestium & diuinorũ (nam profana multis annis ante extremũ diem nec attigisse quidem videtur) occupatione abstineret; nec eadem postea vltra vnam aut alterã horam continuaret: Quarta pomeridiana penitus missa faceret, vt votis & Deo totum reliquum diei noctisque tempus, quod à quiete vacuum erat, impenderet. Septenas certè quotidie horas, vt antè monui, ad auctoris credo nostræ gentis, Ignatij exemplum, precando traduxit, quibus non pro se tantùm Deo supplicabat, sed preces pro omni ferè genere hominum ad Deum allegabat. Singillatim commẽdabat Christo nominis Christiani antistites, prouinciarum rectores, & quicunq;
in

in periculis & vltimo vitæ diſcrimine verſabantur. Deniq́ue titulos ac nomina cauſarum, quas apud Deum ſollicitus & ſanctus orator agebat, legimus ſupra quinquaginta annotata. Inter vota & ſupplicationes, magnam vim lachrymarũ profundebat. Circa anniuerſarias ſanctorum celebritates Friburgi ædem Principem S. Nicolai petebat, vbi in ſacrario D. Ioannis veſpertinas laudes, tãto cũ ſenſu animi perſoluebat, vti pietate nonnunquam quaſi ſopitis ſenſibus à Deo abſorberetur, quẽ ita nonnunquam deprehenſum Sebaſtianus Veronius (à quo vnicè colebatur) excitauit, quãdo adeò difficulter ad ſe rediit, ac ſi è graui ſoporis veterno expergiſceretur. Deniq́ue ſolũ illud tẽpus rectè impenſum putabat, quod precando tranſmiſiſſet. Reprehendebat ſocordiam noſtram, quòd nutus diuinos ac cæleſtes inſtinctus non obſeruaremus, cùm per

eos

eos à Deo aſſiduè ad vitæ ſanctioris ſtudium excitemur. Sanctorum lipſana maximo ſenſu pietatis colebat. Argentorati in æde ſumma per ieiuniorum ſolennia pro concione præcepta ſalutis auditoribus propinabat, quæ multi auidis auribus bibebant. Secundum ferias Paſchales conciliũ Canonicorũ haud ſpernenda abituro munera cũ non modico auri numero obtulit, quæ ille, vti procul ab omni cupiditate pecuniæ aberat, ita procul habuit, omninoq; repudiauit. Cumque demirati porrò quærerent, quid expeteret? nam vacuum abire ſe nullo modo paſſuros. Tum ille ex ſacris Diuorum cineribus pignus ſibi gratiſſimũ præoptauit. Ductus in ſacrariũ iuſſus eſt, quidquid placeret, ſeligere. Mox S. Polycarpi, qui S. Ioãnis ſectator, nobiliſſimo Martyrij triumpho illuſtris erat, digitũ tulit, quẽ Monachij relictũ, Auguſtanum poſt Collegium accepit. Interim Caniſius

Fri-

Friburgi conſenuerat, & memor ſui Polycarpi,articulum de digito repo-ſcebat. Viſum Othoni Eiſenreichio Prouinciæ præfecto, totũ illi & Col-legio Friburgenſi, ad nouã illic ædẽ cohoneſtandam tranſmittere, tute-lam vrbi & contubernio noſtrò præ-ſidium. Quæ res mirificè Caniſium affecit, quod ipſe datis ad præſidem Collegij Auguſtani literis declara-uit.Coloniæ dum apud virgines Ca-pitolinas(hoc à Capitolio cognomẽ habent) cōcionaretur, duo è Sodali-tate XI millium capita dono accepta ſibi Romam, indeq; in Siciliam trãſ-mitti curauit,quæ Meſſanæ cum in-genti totius ciuitatis concurſu & fe-ſtâ celebritate in Societatis ædem il-lata ſunt. Ita obſeruatum eſt, à San-ctiſſimis quibusque viris,fœminisq;, Ambroſio, Pulcheria , aliisque, San-ctorum exuuias magnoperè quæſi-tas, repertas,cultasque. Erga candi-datos quoque familiæ noſtræ, qui

Landspergę Boiorum ad religiosæ vitæ disciplinam instituuntur, suam Canisius pietatem & religionē ostēdit, cùm sub initium ineuntis cuiusq; anni Xenij loco salutaria quædam ad religiosam perfectionem præcepta ab vsque Friburgo ad eos transmisit. Ex quibus vnicum exempli causa subijciam, ex quo de reliquis iudicium fieri poterit. Cooptantur in Societatis nostræ contubernium nō adolescentes tantū mansuetioribus literis exculti, sed viri quoque rerum vsu periti, & diuinis ac humanis sapientiæ disciplinis eruditi, qui sæpè antè parœciarum curiones egere, aut omnibus Academiarum honoribus sunt perfuncti, quos longè difficilius est à ciuili prudentia & astutia, ad religiosam simplicitatem traducere, vt prompti ad omnia maiorum imperia aduolent, nec curiosè in iussa & imperata inquirāt. His ergo reliquisq; omnibus documenti loco

CIƆ. IƆ. XXCIX.

loco summum Christi paruuli studium obsequendi & sapientissimam simplicitatem imitandam proposuit. Cùm enim ex religionis Catholicæ capitibus illud minimè postremum sit, Christum quamuis infantem, & nondum etiam ex Virginis vtero editum, iam rationis potentem & quà consilio, quà prudentiâ præpollentẽ sapientiâ mortalium omnium intelligentiã longè superasse, nihilominus tamen se pro puero gessisse, & à parentibus haberi tractariq; voluisse, seseq; totum ad ætatis decorũ & captum infantię pueritiæq; efformasse, vti vitâ suâ priori omnibus religiosæ vitæ tironibus norma viuedi esset: quo candore animi, quâ morũ innocentiâ, vitæq; simplicitate, & judicij quãtumuis sublimis, acris, & perspicacis dissimulatione maiorum imperiis obsequendum esset. Quod ipse imprimis Canisius non verbis tantũ docuit, sed factis ipsis, non tiro, sed

Lib. 2. cap. VI

veteranus & natu grādi atque ſexaginta annis maior expreſſit, cùm & hebdomatim ſuas ipſe vices obiret, & ad modum tironum, nunc puluerem ſcopis abſtergeret, nunc pauimentum verreret, nunc culinarias à patinis ſordes ablueret, nunc alia pro more domus curaret, tam ſimplici habitu & geſtu corporis, vti nihil in eo quæſitum, aut affectatum deprehendi poſſet, cùm vi animi polleret ingenti, & maximis viris, de maximis rebus conſilia rogantibus velut ex oraculo reſponſa ederet.

Rarum hoc etiam, quamuis non vnicum in Societate ſpectaculū, virum à principum, regum, Cæſarum auditorio, à Pontificū legationibus, à Sociorum & Prouinciarum præfecturis ad puluerē ſeabijcere, vt primus intér poſtremos, & poſtremus inter primos ageret. Scribit ad me Ioan. Haſius, quē ſupra nō ſemel teſtē certū laudaui, ſe ante annos admodū qua-

quadraginta accepiſſe à Seuerino bibliopęgo id æui puero, Caniſium adoleſcentem Coloniæ Muſis operantem conſueuiſſe in menſa defuncti caluam iuxtim collocare, vti ſemper aſpectu cranij, & de vitæ præſentis fine, & initio ſequentis, ad quam mors duceret, admoneretur, haud ignarus eam cognitionem plurimùm valere ad mentem à præſentibus auocandam; & ad cæleſtia æternaque conuertendam, quod ſapientis dictum identidem reuocabat: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

PAVPERVM ET PAVPERTATIS STVDIVM.

CAPVT II.

IN copioſa, potenti, & conſulari familia Caniſius natus, infimæ tamẽ fortunæ & ſortis homunciones mi-

nimè contemſit, aut neglexit, vt hodie ſuperba iuuentus, miſeros tanquam non homines rata, vix aſpectu, nedum affatu dignatur. Caniſius adhuc inter ephœbos agens; Coloniæ diſciplinis liberalibus intentus, pecunias à parentibus pro cultu corporis liberaliter ſubmiſſas; partim ad ſubleuandam egentiorum inopiam, partim in libros expendit, ipſe modeſto oratu contentus, animum, neglectâ curâ corporis, ſtuduit virtutibus excolere. Tertium pòſt & vigeſimum ingreſſus annum etiam voto paupertatem ſignauit; Deoque omne patrimonium ſuum & fortunas tranſcripſit. Nam Iacobo Patre, anno poſt virginis partum CIↃ. IↃ.XLIII. menſe vltimo ad ſuperos profecto (ſic enim Caniſius à Deo certior factus eſt) Neomagum vocatus, cum ſorore Wendelina de hæreditate conuenit, vt illi vltrò primas offerret in bonis deligendis, ipſe

e magnam partem ſortis ſuæ in cœtus religioſorum, aut ſtipem rogantes liberaliſsimè tribuit, alteram naui impoſitam, ſecumque Coloniam deportatam omnem in pios vſus conuertit, ſibi nihil omninò retinuit, ſatis opulentum ſe ratus, ſi animum ſupra opes haberet. Quod nouerca Wendelina ſorori cognominis, peræ-grè, vti ſuprà explicatum eſt, tulit, grauiterq; cum illo & noſtro Fabro expoſtulauit. Sed ſoror de fratre ſollicita monuit, vt futuri prouidus, in vſus neceſſarios, & caſus vltimos, qui in vita varij poſſent & ſolerent incidere, aliquid opis humanæ conderet, addiditque de ſuo ſe illi quotannis triginta aureos adiecturam. Grata fuit Caniſio pietas ſororis, ſed reiectis omnibus reſpondit: nihil ſibi his opus eſſe; ſua ſe ei crediſſe, qui poſsideret omnia, & qui cẽtuplo cõpenſaret in præſenti, & deinceps vitam pręſtaret ſempiternam. proinde

ſe illius beneuolentiæ gratias memi-niſſe;ſibi abundè ſuppeditatũ iri ne-ceſſaria ab eo,cuius obſequio ſe mã-cipaſſet. Rediit in patriam biennio pòſt,quã deinceps nõ vidit amplius, niſi poſt duos & viginti annos,cùm à Pio IV. miſſus eſt Legatus ad prin-cipes Imperij, quando Guilielmum Sicambrorum regulum ſalutauit. Ibi verò cum Neomagi inter ſorores & ſororios,reliquoſque cognatos(quo-rum centum & viginti ſuperſtites, omnes proximâ vel propinquitate vel affinitate Caniſium continge-bant) certaretur, qui Caniſium pri-ùs domum ſuam ad lautas epulas de-duceret, ipſe tam officioſam litem ſuorum admodum eleganter & piè compoſuit,hortatus ſingulos, qui ſi-bi gratum vellent adornare conui-uium, ſymbolas conferrent, ſimul-que omnes ad publicum vrbis vale-tudinarium deferrent, ibi per con-feſſionem expiati prius ad cæleſtis agni

agni mensam accumberent, deinde corpus curarent. Placuit hæc Canisij pietas propinquis, magnumque ciborum & vini numerum in xenodochium deportarunt, sacram synaxin religiose sumpserunt, ac demum sobriè pransi plura egentibus analecta reliquerunt, quàm ipsi in epulo absumpserunt, rarum hodie, imò olim etiam exemplum. Eodem loci cùm domum sororis omnes propinqui Canisij conuenissent, præfatus de futuris bellorum tempestatibus & religionũ dissidiis singulos ad constantiã in tuenda prisca religione vehementi oratione adhortatus, ita commouit, vt omnes stipulatâ manu pollicerentur, se ne latum quidẽ vnguẽ à Catholica disciplina & doctrina discessuros. Nec fidem fefellêre: centum quinquaginta hodie ex Iacobi Patris Canisij stirpe numerãtur, qui Romanam Ecclesiam magistram religionis & veritatis agnos-

cunt coluntq;. Argentoratum vocatus per Cineralia de rebus diuinis, cùm populo frequente egit; secundùm Paschales ferias accepta missione, summaque auri non paruâ oblatâ, nihil omnino admisit. Polycarpi duntaxat digito, quem omnibus thesauris gratiorem habuit, accepto, cum omnium admiratione & abstinentiæ commendatione, recessit. Nuncius pontificis vnico socio contentus, legationem ad principes, sine vllo fastu aut comitatus ambitione obiit, auctoritatem à virtutis & eruditionis laude mutuatus, quam plerique in officiis aulicis, numero comitum & vrbanis elegãtiis ponunt. Nec diu nomen & munus retinuit. Nam cognita Pij morte extemplò se dignitate abdicauit.

CVSTO-

CVSTODIA SVI.
CAPVT III.

PRæcipiunt ſcriptores, qui aſcetica tractarunt, vt religioſi viri, qui ſe Deo probare ſtudent, in perpetuis quinque ſenſuum excubiis perſeuerent, quòd hoſtis per illos veluti animi clauſtra portaſq; irrumpere ſoleat, & ingentem intus ſtragem virtutum edere. Qua in cura ita peruigilauit Caniſius, vt etiã in publicis itineribus, cùm Socij amœna camporũ viridaria, elegantem florum varietatem, ſiluarum opacitates, baccarum vbertates demirarentur, & Caniſium ad tam lætum naturæ, veris & æſtatis ſpectaculum inuitarent, ille tamen hanc oculis ſuis gratiã negaret, quod maioribus à Deo animi oblectamẽtis paſceretur, præ quibus omnibus illi mundi ornatus ſordebat. Monebat ſuos, cauerent accuratè ſibi ab inſidiatoris artibus, ne ſenſim ſubduce-

ret nobis, quod magno ſudore colle-
giſſemus. ſolere eum per cuniculos
perrepere ad mentē, ac primū ocu-
los, & aures tentare, vt in varia ſpar-
gantur, ac per illa cogitationes diſ-
ſipentur. dein graſſari vlterius, ob-
iicere varias oculis formas, varios au
ribus rumores, fabulaſq́; mox gulę ir-
ritamenta, tum ventris ingluuiem &
alia ſenſuum blandimenta; quibus
omnes paulatim neruos virtutis eli-
dat, ac totum hominē crebris aſſulti-
bus tentamentorū in exitiū trahat.
Caniſius proinde pro ſuo vitæ religi-
oſę vſu, & rerum diuinarum cogniti-
one, has dæmonis petitiones eluſit,
cautiſſimeq́; declinauit, & aurium,
oculorum, linguæ, totiuſq́; corporis
ſenſum ita in poteſtate continuit, vt
adſuetos habenis frænisq́ue peritus
aurigator equos; flagris corpus iam
ſenio & laboribus fractum nihiloſe-
cius multabat, moleſtaque cilicij
tunica trementes artus cruciabat,
ita

ita vt vir extremâ senectâ à S. Brunonis cœnobiarcha nouam emendicaret, quam cum veteri sua permutaret. Cibi quoq; tam modici erat, vt sæpè intra octiduum non plus gustaret obsonij, quàm vnus aliquis vno solet capere prandio, aut cæna. Nec rarò à prandio pridiano ad prandiũ postridianũ, ieiunus perdurabat, nihil neq; cibi, neq; potionis admittendo. Merũ non attigit, sed aquam vino potiùs, quàm vinum aquâ temperabat. Carne rarò & eâ minutim ad moreti formam concisâ vescebatur. iuris liquamen sorbillabat, olusculis & ξηροφαγία, seu aridis delectabatur. Cùm stomachus iam auersionibus laboraret, sæpius à ministro cubiculi fatigatus, vt significaret quo cibi desiderio teneretur, auiculam tandem nominauit. Prodiit in forum œconomus, nullaq; repertâ tristis domũ rediit; cùm ecce ad vesperam apertâ fenestrâ cubiculi, auis quasi diuini-

tus immiſſa, ſe nullo negotio capiẽdam, tantũ non vltrò offert. Quà in cænam appoſitâ, & paruâ & vnicâ contentus, nihil præterea guſtauit, ille tamẽ lautè ſe opipareq; eo veſpere epulatum affirmabat. Inter menſam ad ſingulas buccellas tacitè vel Deum, vel Sanctum quempiám implorabat, ita mens prorſus alia, dum corpus cibo reficeretur, pertractabat, vt ſæpè acetum pro vino bibiturus arriperet. Cùm ſolennes ieiuniorum dies agitarentur, etiam in vltimo morbo, biduo ante mortem à conſuetudine reliquorum non receſsiſſet, niſi imperio Rectoris allata guſtaſſet. A familiaribus & ciuibus ad ſolennes epulas inuitatus, nec à ſolenni ſuo deſiſtebat, nec niſi temperatiſsimè libabat potiùs dapes, quàm edebat. Nec tetricus tamẽ ac triſtis, nec cõtrà ſolutus in riſum lętitiâ geſtiebat, religioſæ modeſtiæ & grauitatis vbique ſtudioſiſsimus obſerua-

ſeruator. Nec aliàs vnquam de conſtantia vultus, & morum graui ſuauitate quicquam remiſit.

MIRACVLA CANISIO VIVO, MORTVO PATRATA.

CAPVT IV.

SEmper ex illuſtri capite ſanctitatis emicant radij operum diuinorum, quæ modum naturæ excedunt, indices ac teſtes animi innocẽtis, ac Deo, cælitibuſq; grati, quos & noſtro Caniſio Numinis majeſtas viuo mortuoque impoſuit.

Primum de Caniſio etiamnũ puero per religioſam matronam ſiue Reineram, ſiue Reinhardam ſeu deniq; Reinoldam; variant enim nomina, inter ſe tamẽ valde affinia, viduam Arnhemienſem (abeſt autẽ Arnhemium Nouiomago paſſuum millibus non amplius decem) nos docuit,

it,qui vir eſſet futurus Caniſius,cùm vaticinaretur de Societate noſtra ad Eccleſiæ in priſtinum ſplendorem reſtituendæ ſalutē naſcitura, in qua & Caniſius eſſet ſuam operam locaturus: quo de prodigio ipſe Caniſius hæc ad Ioannē Buſæum cognatum, & ipſum quoque ſuis ingenij monumentis notum,perſcripſit. *Benedictus Deus, cuius gratiâ mihi videre licuit, ſanctā viduam Arnhemii,quâ monente didici,de nouo Sacerdotum ordine ad reformationem Eccleſiæ inſtituendo, cui & ego adſcribendus eſſem.*

Deſcripſit hanc viduam Ioannes Buſæus literis ad me datis. *Erat,* inquit, *illa vidua cognata ipſius, & vt puto sāctimonialis, de cuius ſanctitate meo tēpore apud Nouiomagenſes, qui tantū duobus milliaribus ab Arnhemienſibus diſtant, opinio. Illam cōuenerat P.Caniſius,antequā Societatem noſſet.* Illuſtriora de eadem Reinolda ſiue Reinharda ex literis P.Io.Haſij inter

Soci-

Socios vti magnæ auctoritatis, ita certæ fidei accepi, qui ex sororis P. Canisij filia, illaque ex matre didicit; Reinhardam assiduè domum Iacobi Canisij, qui Petri parens erat, interuenisse, toti familiæ perfamiliarem, religiosissimam fuisse matronam, decē & octo annis nihil è macello, nihil è piscina in mensam intulisse; ad cæleste Christi mēsam ter in hebdomade accubuisse. Quā ergo pia veraque fæmina Reinharda, tā hoc nō vanū de Canisio vaticiniū fuit, cui virgo quoq; Aduatica seu Brabantina, teste ipso Petro Canisio, suffragata est. *Fuit, inquit, & verè virgo pia & sapiens apud Brabantinos, quæ diuino spiritu erudita commonefecit præter alia meam operā & scriptionem Ecclesiæ suo tempore profuturā. Deū testor nihil à me fingi, sed veritatē ingenuè affirmari,* hæc ipse Canisius: Nec minus est illustre, quod sequitur. Iacobus, Canisij pater, in grauem morbum, ex quo & de-

An Reinolda fuit vidua, Reinharda virgo? & nomina cōfusa.

& decesſit, inciderat, & Caniſium ex ſe natum ac Coloniæ ſtudiis immerſum ſæpius euocarat, vt extrema illi mandata ederet, & ſaluere ac valere poſtremùm iuberet. Accurrit Nouiomagum Caniſius, vt ægro officia præſtaret, quæ poterant à filio deſiderari. Sed Caniſio cõclaue Patris ingrediente, pater è vita ſubitò filij aſpectu præ gaudio exanimatus migrat. Nec id mirum videri cuiquam debet, cùm ex veteri memoria pluribus idem vſu veniſſe cognoſcamus. Sed Caniſius morte Patris tã inexpectatâ vehementer perculſus, & multo magis de ſalute illius quàm vita ſollicitus, miris curarum fluctibus æſtuabat, quòd verebatur, ne parùm benè expiatus ad tribunal Chriſti reus ſiſteretur. Noctem illam in votis & lacrymis abſumpſit, ſupplicesq́; Deo preces ſtrauit, vti pacem veniamq́ue patri impertiretur. Audiit pios filij gemitus pro patre, pater miſericordiarum

diarũ Deus, & Canisio aperuit, non patrẽ tantũ, sed matrẽ etiam (Aegidia illa erat, prima Iacobi vxor) quæ iã pridẽ decesserat, cęlo receptã. Quo diuino responso exhilaratus; quãtas potuit mortalis immortali Deo gratias egit, cũ se nouo Dei beneficio obstrictum gratâ memoriâ recognouisset, quod ego ex Dilinganæ Academiæ Rectore Christophoro Grenzingo, ipse ex Theodorico Canisio, Canisij fratre accepit. Nihil enim placet nisi testatissimũ in hac tota narratione collocare. Et erat Canisij pater rerũ diuinarũ studiosus adeò, vt moriturus etiã vestes, quas habebat splẽdidas, veluti trabeas ad pedes promissas, in sacrũ sacerdotũ vsũ verti iuberet, & suæ toparchiæ tẽplis dedicari.

Franciscus Costerus à libris & religione notissimus, anno CIƆ.IƆ C. ad conuentum Sociorum publicũ inter alios Romã vocatus, in itinere exposuit, Corneliũ Wischauium ciuẽ Louani-

uanienſem, operâ Caniſij, nō ſine diuino nutu, ad Societatē noſtram adiunctū. Petrus Faber ille vnus ex Sociorū decuria, cū Franciſco Strada id tēporis candidato Societatis, poſtea claro in paucis viro Louanium petebat, cui literas Caniſius ad Cornelīū perferendas dedit, quibus illū in hæc verba cōpellabat: *Corneli amice, habes hîc virū optimū Petrū Fabrū, cuius religionē amplectere. Sic enim quā cupis, animi ſalutē conſequere.* Sed cū Franciſcus Strada porrectis Cornelio literis, extēplo receſſiſſet, lectâ Cornelius Caniſij Epiſtolâ, requirebat tabellariū, nec vſquā reperto, ædē S. Dominici adit, vbi ſupplex ad ſanctā iconē B. Virginis: *Sancta*, inquit, *Optimi Maximi Dei genitrix literas accepi, quibus mihi mandatur, vt cū quodā de rebus ad ſalutem meā ſpectantibus agā, neſcio, vbi hominem offendā; index ergo eſto ſancta Domina, & quærēti quos deſidero; oſtende.* Accipit cæleſtē vocem

cem Cornelius, & ſecundum cœnobium iubetur dextrũ vię latus ingredi, tertiæq́ue inde domus ad ſiniſtrã fores pulſare. Paruit ductrici Virgini Cornelius, & rectà ad Petri Fabri domicilium delatus, per Franciſcum Stradã ad Fabrum deducitur, à quo officiosè exceptus, noſtræq; vitæ rationes edoctus, mox domo Sociis addictâ, ipſe dominum in Societate noſtra ſequutus eſt. *hæc, inquit, eſt religio, quã lõgis votis deſideraui, & lætus tandẽ impetraui.* Abſoluit Cornelius vitæ curriculum in Societate ſanctè & religiosè, quod ducibus viæ optimis Caniſio & Fabro eſt ingreſſus. Sed pauci ſunt Cornelij, qui Deũ tã promtè & obſequenter ſequuntur. Atq; hæc ipſa vt certa credas, tabulas en ipſius Franciſci Coſteri pręterito anno ad me miſſas? *Accepi heſterno die, quas R.V. dederat 5. Idus Ianuarij, cũ initio vitæ B. Memoriæ P. Petri Caniſij, quod initium mihi valde probatur,* *eſtq́ue*

Frãciſci Coſteri literæ.

ēstq; cōforme cum iis quæ mihi à B.M. P.Cornelio Wischauio narrata fuerūt, eius condiscipulo apud D.Nicolaum Escium, qui postea præfuit conuētui Beginarū Bostenii. Addebat bonus P.Cornelius ad se datas ab eo ex Germania (Moguntiâ, ni fallor) literas per P. Petrū Fabrū, quas ei Louanium adferebat Franciscus Strada tunc adolescens. Cūq; ei non esset ocium illas statim legendi propter vespertinum officiū, ad quod in Ecclesiam S. Petri properabat, post reditū, vt eas aperuit, multa inuenit de nostræ Societatis instituto, quæ ipsum ad illud non mediocriter permouebant: sed cū ab eo Frāciscus Strada discessisset, ipseq; ignoraret, vbinā hi duo in ciuitate hospitiū haberent, contulit se postridie in templū fratrum Prædicatorū, vbi ad altare B.Virginis precatus B.Virginem pro auxilio inueniēdæ Domus illorū & tunc diuinitus ei suggestū est, vt portā internæ ciuitatis iuxta Monasteriū S. Frācisci egressus ad latus sinistrū ianu-

am

am cuiuſdã domus pulſaret, quod vt fecit, inuenit ibi vtrumq́. A. P. Fabro de inſtituto Societatis noſtræ inſtructus, deduxit ambos in domũ ſuã iuxta Parochialem Eccleſiam B. Michaëlis, quã Societati donauit, a' que ex eo tempore Societas Louaniũ non deſeruit, ad quã concionibus prædicti Franciſci Strada necdum Sacerdotis, multorum magna acceſſio facta eſt. Hæc ab ipſomet P. Cornelio Wiſchauio audiui. Vbi typis fuerit excuſus liber vitæ B. M. P. Petri Caniſij, quæſoeius fieri particeps, familiariter eo ſum vſus Coloniæ, vbi ipſũ cõcionantem audiui in æde Metropolitana. Vale mi R. Pater. Bruxellæ Brabãtiæ 24. Ianuarii An. 1613. Cũ vota pro inſtituẽdo Monacenſi Collegio faceret, promiſit illi Deus felicẽ eius Collegij ſucceſsũ, quod ipſe Caniſius litteris ad Socios datis cõfirmauit, quas ſuprà cognouiſti. Godefrido Triſtio Wendelinę ſororis marito fatalẽ imminere diẽ abſens cũ diuinitus præſenſiſ-

ſet

ſet,dedit ad illũ literas, quibus illum acriter hortatus eſt, vti ſe ad vltimã horã compararet; ſecurim radici admotã mox è vita extirpandæ:proinde videret, vti mox ad tribunal ſupremi dictatoris, à quo nulla ſit prouocatio,ſiſtendus, quomodo cauſam ſuam eſſet defenſurus, rationemque de omni ante acta vita redditurus. Non niſi mẽſis ab acceptis literis intercesſit, cũ Triſtius ad ſupremũ iudicẽ eſt citatus. Nec tacendũ,iter facientẽ ſæpius ex ipſo mortis diſcrimine eſſe ereptum. Quamuis enim pro Sociorum vſu viam nunquam ſolus ingrederetur, nihilominus ex interuallo nonnunquam ſequutus, & ſui ac ſuorum,omniumq́: præſentium oblitus,ſoliuſq́; Dei memor,iumẽto vehens in auia abripiebatur,& flumina ingreſſus,non niſi per ignotos ſubitò comparentes euaneſcentesq́; quos cælites fuiſſe non ambigimus, ex mediis periculis ſeruatus,

& in

& in viam reductus est. De quo illustre testimonium extat P. Francisci Roccæ, qui hodieq; Romæ viuit, & Canisij comes erat itineris illius, quod expono. Anno CIϽ.IϽ. LXVII. nondū præfecturâ Prouinciæ defunctus Augusta Vindelicorum Oenipontem petebat Canisius, vt Collegij statum pro officio inspiceret, eademque operà de regiarum virginū Imperatoris Ferdinandi filiarum parthenone moliendo consilium poneret, qua regia corpora regum Regi & Imperatori supremo, Christo despōsa æternum custodirentur. Itum per alpes, quà ædes sacra est religiosæ familiæ S. Benedicti nomini initiatæ, vbi ab admirādis in supplices beneficiis virgo Ethalensis religiosissimè colitur. Hæret monasterium in edito Penninarum alpium iugo, ad fontes Ambronis, à Boiorum principe & Romanorum Imperatore Ludouico olim à fundamentis excitatum.

Huc priusquàm Canisius cum Rocca perueniret, Ambronis alueus, nunquam aliàs tam altus, adeò cælestibus aquis intumuerat, vti non riparum tantùm crepidines excederet, sed pontis etiam fastigio superfusus, omnia longè lateq; stagnantibus aquis inundaret, geminis duntaxat perticis ab vtroque pontis latere eminentibus, quæ septi loco è ponte vtrinque exurgebant, per quas Canisius procul spectatas transeundum dicebat. Rocca animaduerso periculo nonnihil cunctatus, monet Patrem de præsenti discrimine: sed Canisio (quòd illac sæpius transmisisset, & omnia tuta crederet,) vt pergeret vrgente, Rocca Deo & imperantis religione fretus, cœptum iter prosequitur, iamq; iumentum cui insidebat, aluo tenus mersum propè innatabat, pergit tamen Rocca & pontem ingreditur, quem medium, saxum ingens, sed latens tege-

tegebat, vt ipſo pondere moli aquarũ obſiſteret, ne vi fluminis prorſus conuelleretur; in hunc cùm equus offenderet, ſupinatus in vltimum periculũ vectorẽ coniecit; ſed in primores tandem pedes placidè ſubmiſſus, morti Roccã eripuit; qui ſequẽtẽ Caniſiũ monuit, vt ad latus paullũ flecteret. Ita vterq; incolumis, obſtupeſcente toto pago, qui feriatus ad ſpectaculum periclitantium concurrerat, Patrumq; temeritatem accuſabat, quos tantùm non in ipſam mortem incurriſſe dicebant, quòd ipſi, viarũ gnari, nunquam traiicere auſi eſſent. Ventum dein ad ipſum cœnobium, vbi Caniſius ab Antiſtite cum ſingulari beneuolentiæ ſignificatione exceptus, ad quietem & moram dilabentium aquarum humaniſſimè inuitabatur: ſed ille cùm vix paullũ reſpiraſſet, eodẽ die in maius diſcrimen properabat, & niſi Cœnobiarcha docuiſſet inuiã eſſe viã, vallem

lem ſequi decem millia paſſuum porrectam, vadis adeò impeditam, vt ex agreſtibus paullo ante equó præſtūti vehens, fruſtrà tentato tranſitu reuerſus correxerit iter: Proinde moraretur ſaltem eam noctē, fore vt interim ſe ſtagnātes vndiq; lacus in alueum colligerent, & viam profecturis aperirent. Aegrè impetrauit (quāuis tot momentis rationū adductis) à Caniſio præfectus Cœnobij, vt illa nocte cōquieſceret. qui ne gratis cænaret, ad religioſum illic cætū de rebus diuinis paræneticū ante cænam inſtituit, pro qua illis cæleſtem orationem propinauit. Poſterâ luce cùm Patres ſacris operati, ducem itineris eum, ipſum qui pridie altitudinem aquarum explorarat, accepiſſent, & ex alta Cœnobij rupè in ſubiectā vallem deſcenderent, volebat Rocca Caniſium medium inter ſe, & itineris ducem accipere, ab vtroq; ſi vſus eſſet, ſuccolandū. Sed Caniſius præ-

fidens

fidens iumento quod præstabat, illis vt porrò pergerent, præcepit, se agmen clausurum. Vallis vtrinque scopulis in cælum eminentibus cingebatur. Ambro flumen per ima decurrens adeò inflatum erat, vt iustus alueus à circumfusis aquis secerni non posset, nihilque supra, præter montes & cęlum; infrà pręter latè stagnantes aquas appareret. Torrentes ex altis rupium cauernis cum ingenti strepitu vndique præcipitabant, semitamq; adeò obruerant, vt equi propè innarent. Rocca pro Canisio sollicitus; identidem respectabat, an satis saluus esset. Processum est hac ratione per medias aquas millia passuum tria quatuórve: Cũ de more versus Rocca, videt Canisiũ equo effusum, ac penè totum aquis mersum, & quod deterrimum erat, altero pede in subice pedaneo (quem stapedem hodie appellant) periculosè hærentem. Retinebat tamen alterâ manu habenas,

alterâ iugum ephippii complexus. Rocca Canisij periculo exanimatus, aduerso monte & flumine regredi ad expediendum Patrem non poterat, & à ductore monebatur, ne se commoueret, paruo momento per impetum aquarum cum ipso equo abripi euertique posse. Desperatis Rocca suppetijs, cęlum votis implet, & Canisium conclamatum piæ Numinis prouidentiæ committit. Inter hæc spectat eminus virum staturâ procerum, pedibus antegressum, nec priùs animaduersum; quem inclamans, totaq; manu vocans rogat, vti hærenti & pereunti Patri succursum eat. Adest vocatus & Canisium pedicis explicat, manuq; in subiectum monti campum extra vallem ducit; quem sequutus Rocca, & complexum, *Pater*, inquit, *non sic meam vnquam, vt tuam hodie sortem dolui, cùm auxilia porrigere non possem. Nunquã aliàs*, inquit Canisius, *tam benè*

benè habui, paratusque ad oppetendum fui. quid enim aliud optem, cupiamué, quàm dissolui, & esse cum Christo? Liberatori dein Canisius; *prandebis*, inquit, *nobiscum, vbi ad hospitem diuertemus, & gratum beneficio munus accipies*. Benè habet, inquit viator, & stratoris vicem functus Canisium in equum tollit, nec progredientem antè destituit, quàm in sicco solo (nam & campus exerrantibus innatabat vndis) saluum exponeret, & diuersorium in conspectu haberet, cùm repentè videri desijt. haud dubiè Diuus è cælitum classe, tutelæ Canisij destinatus, vt seruaret virum Christianæ Reip. linguâ, calamo, exemploque vitæ amplius profuturum. Et verò cùm habitu coloni viator apparuisset, & illud genus hominum minimè opulentium, nec mensas soleat recusare, nec honoraria reijcere, imò vltro reposcere, certum est homine quid au-

gustius fuisse, ex oculis repentè subductum. Hæc propè ad verbum ex Epistola Roccæ, ex Italico tralata, ostendunt, quàm cordi fuerit Canisius Deo, singularem ad eum seruandum cælitem mittenti. In quam spem nos par est omnes ingredi, qui causam Dei & salutē hominum procuramus. Non reuocabo, quæ suprà ex monumentis Augustanis copiosè demonstraui, quomodo illustris matrona Sibylla Fuggera ex Comitum Ebersteiniorum gente orta, oblata Canisij specie per nocturnam quietem fuerit ab errore Lutheri liberata. Nec pulsum Oetingæ dæmonem reuocabo; de quo Martini Eisengreinij volumen legitur. Friburgi Sebastianus Veronius, is quem suprà sæpius laudaui, hoc quoque beneficium sibi à Canisio præstitū solet prædicare. controuersia erat illi cum quibusdam, nescio de quibus nominibus ac debitis, cuius finem nullū cernebat;
Iamq;

Iamque res in eum locum erat deducta, vt omninò putaret renunciandũ iis, quæ sibi iure debebantur, ne maiores inde rixarum caussæ existerẽt. Commendauit rem Canisio, qui recepit se eius patronum apud Deum futurum, caussamq; intra diem obtinuit, vt postridie præter omnium spem & expectationem, olim appellati, Sebastiano duplum eius, quod petierat, vltro darent, offerrentque. Adeò nihil suis negat clientibus Deus, qui ab humanis auxiliis ad illius tribunal per supplicationes prouocant.

IIX. Accepi à Iacobo Kellero Collegij Monacensis hodie moderatore, & olim Friburgi politioris literaturæ Doctore (vbi cũ Canisio aliquot annis familiariter vixerat, multaq; cùm dicta tùm facta viri sancti obseruarat) fuisse Canisio librariũ, qui dictata calamo excipiebat, in vulgus postea spargẽda. Hũc cùm vel scribẽdi

labor fatigasset, vel præproperum quietis desiderium cepisset, penso, quod Canisius præscripserat, abrupto, domum properauit. rogarat Canisius pauxillam moram, nec impetrarat: Vix pedem ille domo nostrâ extulerat, cùm pœnas suæ peruicaciæ dedit. Ignotus enim nescio quis Mercurius in hunc Sosiam incurrit, colaphoque tam atroci multauit, vt ignis ex oculis emicaret. Nec deprehendere obiurgatorem ictus, nec videre poterat, à quo tam male acceptus esset. Ita frons effrontis vel inuita erubuit, quæ venerandi Patris vultum noluit reuereri.

Sed vel maximè memorabile est illud, quòd Guilielmus Crumenstollius vir domi suæ clarus & Senatorius, ipsaq; canitie & æuo (nam alterũ & septuagesimum agitat) venerabilis, in summi, vti par est, beneficij loco ponit, passimq; apud omnes celebrare non desistit. Is ex Altaripensi

Cœno-

Cœnobio Friburgum equo rediens, haud procul vrbe, vnà cũ equo in altum cœnũ & lutũ tanto casu prolabitur, vt iumenti sarcinati moles in pedẽ eius incumberet, vnde se nullo conatu, quãuis diu luctatus poterat explicare, & quod altæ iam essent tenebræ, nemo iacenti sub tanto onere succurrebat, fatigabat ille cælũ precibus, surdũ tamen, quoad menti succurrit adhuc in terris degẽs Canisius. Ergo rursus ad Deũ versus *Supreme*, inquit, *rerũ ac mortaliũ arbiter Deus, per Canisiũ ego te nostrum, virum tibi tantâ vitæ innocentiâ & sanctimoniâ operantem, seruientemque vltimis votis rogo, quæsoque ex hoc me præsenti mortis eripe discrimine*. Dictum factũ, pedem nullo negotio hærentibus in cloaca ocreis, calcaribus, & equo miris modis expedit; mox etiam iumentum sequitur trahentem, ipseque sartus tectus domum reuertit. Quinto pòst die alterius negotij cau-

Huc priusquàm Canisius cum Rocca perueniret, Ambronis alueus, nunquam aliàs tam altus, adeò cælestibus aquis intumuerat, vti non riparum tantùm crepidines excederet, sed pontis etiam fastigio superfusus, omnia longè lateq; stagnantibus aquis inundaret, geminis duntaxat perticis ab vtroque pontis latere eminentibus, quæ septi loco è ponte vtrinque exurgebant, per quas Canisius procul spectatas transeundum dicebat. Rocca animaduerso periculo nonnihil cunctatus, monet Patrem de præsenti discrimine: sed Canisio (quòd illac sæpius transmisisset, & omnia tuta crederet,) vt pergeret vrgente, Rocca Deo & imperantis religione fretus, cœptum iter prosequitur, iamq; iumentum cui insidebat, aluo tenus mersum propè innatabat, pergit tamen Rocca & pontem ingreditur, quem medium, saxum ingens, sed latens tege-

tegebat, vt ipſo pondere moli aquarũ obſiſteret, ne vi fluminis prorſus conuelleretur; in hunc cùm equus offenderet, ſupinatus in vltimum periculũ vectorẽ coniecit, ſed in primores tandem pedes placidè ſubmiſſus, morti Roccã eripuit; qui ſequẽtẽ Caniſiũ monuit, vt ad latus paullũ flecteret. Ita vterq; incolumis, obſtupeſcente toto pago, qui feriatus ad ſpectaculum periclitantium concurrerat, Patrumq; temeritatem accuſabat, quos tantùm non in ipſam mortem incurriſſe dicebant, quòd ipſi, viarũ gnari, nunquam traiicere auſi eſſent. Ventum dein ad ipſum cœnobium, vbi Caniſius ab Antiſtite cum ſingulari beneuolentiæ ſignificatione exceptus, ad quietem & moram dilabentium aquarum humaniſſimè inuitabatur: ſed ille cùm vix paullũ reſpiraſſet, eodẽ die in maius diſcrimen properabat, & niſi Cœnobiarcha docuiſſet inuiã eſſe viã, val-

lem ſequi decem millia paſſuum porrectam, vadis adeò impeditam, vt ex agreſtibus paullo ante equó præſtāti vehens, fruſtrà tentato tranſitu reuerſus correxerit iter: Proinde moraretur ſaltem eam noctē, fore vt interim ſe ſtagnātes vndiq; lacus in alueum colligerent, & viam profecturis aperirent. Aegrè impetrauit (quāuis tot momentis rationū adductis) à Caniſio præfectus Cœnobij, vt illa nocte cōquieſceret. qui ne gratis cænaret, ad religioſum illic cætū de rebus diuinis paræneticū ante cænam inſtituit, pro qua illis cæleſtem orationem propinauit. Poſterâ luce cùm Patres ſacris operati, ducem itineris eum, ipſum qui pridie altitudinem aquarum explorarat, accepiſſent, & ex alta Cœnobij rupè in ſubiectā vallem deſcenderent, volebat Rocca Caniſium medium inter ſe, & itineris ducem accipere, ab vtroq; ſi vſus eſſet, ſuccolandū. Sed Caniſius præ-

fidens

fidens iumento quod præstabat, illis vt porrò pergerent, præcepit, se agmen clausurum. Vallis vtrinque scopulis in cælum eminentibus cingebatur. Ambro flumen per ima decurrens adeò inflatum erat, vt iustus alueus à circumfusis aquis secerni non posset, nihilque supra, præter montes & cęlum; infrà pręter latè stagnantes aquas appareret. Torrentes ex altis rupium cauernis cum ingenti strepitu vndique præcipitabant, semitamq; adeò obruerant, vt equi propè innarent. Rocca pro Canisio sollicitus; identidem respectabat, an satis saluus esset. Processum est hac ratione per medias aquas millia passuum tria quatuórve: Cũ de more versus Rocca, videt Canisiũ equo effusum, ac penè totum aquis mersum, & quod deterrimum erat, altero pede in subice pedaneo (quem stapedem hodie appellant) periculosè hærentem. Retinebat tamen alterâ manu habenas,

alterâ iugum ephippii complexus. Rocca Canisij periculo exanimatus, aduerso monte & flumine regredi ad expediendum Patrem non poterat, & à ductore monebatur, ne se commoueret, paruo momento per impetum aquarum cum ipso equo abripi euertique posse. Desperatis Rocca suppetijs, cęlum votis implet, & Canisium conclamatum piæ Numinis prouidentiæ committit. Inter hæc spectat eminus virum staturâ procerum, pedibus antegressum, nec priùs animaduersum; quem inclamans, totaq; manu vocans rogat, vti hærenti & pereunti Patri succursum eat. Adest vocatus & Canisium pedicis explicat, manuq; in subiectum monti campum extra vallem ducit; quem sequutus Rocca, & complexum, *Pater*, inquit, *non sic meam vnquam, vt tuam hodie sortem dolui, cùm auxilia porrigere non possem. Nunquã aliàs*, inquit Canisius, *tam benè*

benè habui, paratusque ad oppetendum fui. quid enim aliud optem, cupiamné, quàm dissolui, & esse cum Christo? Liberatori dein Canisius; *prandebis,* inquit, *nobiscum, vbi ad hospitem diuertemus, & gratum beneficio munus accipies.* Benè habet, inquit viator, & stratoris vicem functus Canisium in equum tollit, nec progredientem antè destituit, quàm in sicco solo (nam & campus exerrantibus innatabat vndis) saluum exponeret, & diuersorium in conspectu haberet, cùm repentè videri desijt. haud dubiè Diuus è cælitum classe, tutelæ Canisij destinatus, vt seruaret virum Christianæ Reip. linguâ, calamo, exemploque vitæ amplius profuturum. Et verò cùm habitu coloni viator apparuisset, & illud genus hominum minimè opulentium, nec mensas soleat recusare, nec honoraria reijcere, imò vltro reposcere, certum est homine quid au-

gustius fuisse, ex oculis repentè subductum. Hæc propè ad verbum ex Epistola Roccæ, ex Italico tralata, ostendunt, quàm cordi fuerit Canisius Deo, singularem ad eum seruandum cælitem mittenti. In quam spem nos par est omnes ingredi, qui causam Dei & salutẽ hominum procuramus. Non reuocabo, quæ suprà ex monumentis Augustanis copiosè demonstraui, quomodo illustris matrona Sibylla Fuggera ex Comitum Ebersteiniorum gente orta, oblata Canisij specie per nocturnam quietem fuerit ab errore Lutheri liberata. Nec pulsum Oetingæ dæmonem reuocabo; de quo Martini Eisengreinij volumen legitur. Friburgi Sebastianus Veronius, is quem suprà sæpius laudaui, hoc quoque beneficium sibi à Canisio præstitũ solet prædicare. controuersia erat illi cum quibusdam, nescio de quibus nominibus ac debitis, cuius finem nullũ cernebat;

Iamq;

Iamque res in eum locum erat deducta, vt omninò putaret renunciandũ iis, quæ ſibi iure debebantur, ne maiores inde rixarum cauſſæ exiſterẽt. Commendauit rem Caniſio, qui recepit ſe eius patronum apud Deum futurum, cauſſamq; intra diem obtinuit, vt poſtridie præter omnium ſpem & expectationem, olim appellati, Sebaſtiano duplum eius, quod petierat, vltro darent, offerrentque. Adeò nihil ſuis negat clientibus Deus, qui ab humanis auxiliis ad illius tribunal per ſupplicationes prouocant.

IIX. Accepi à Iacobo Kellero Collegij Monacenſis hodie moderatore, & olim Friburgi politioris literaturæ Doctore (vbi cũ Caniſio aliquot annis familiariter vixerat, multaq; cùm dicta tùm facta viri ſancti obſeruarat) fuiſſe Caniſio librariũ, qui dictata calamo excipiebat, in vulgus poſtea ſpargẽda. Hũc cùm vel ſcribẽdi

 labor

labor fatigaſſet, vel præproperum quietis deſiderium cepiſſet, penſo, quod Caniſius præſcripſerat, abrupto, domum properauit. rogarat Caniſius pauxillam moram, nec impetrarat: Vix pedem ille domo noſtrâ extulerat, cùm pœnas ſuæ peruicaciæ dedit. Ignotus enim neſcio quis Mercurius in hunc Soſiam incurrit, colaphoque tam atroci multauit, vt ignis ex oculis emicaret. Nec deprehendere obiurgatorem ictus, nec videre poterat, à quo tam male acceptus eſſet. Ita frons effrontis vel inuita erubuit, quæ venerandi Patris vultum noluit reuereri.

Sed vel maximè memorabile eſt illud, quòd Guilielmus Crumenſtollius vir domi ſuæ clarus & Senatorius, ipſáq; canitie & æuo (nam alterū & ſeptuageſimum agitat) venerabilis, in ſummi, vti par eſt, beneficij loco ponit, paſſimq; apud omnes celebrare non deſiſtit. Is ex Altaripenſi Cœno-

Cœnobio Friburgum equo rediens, haud procul vrbe, vnà cũ equo in altum cœnũ & lutũ tanto casu prolabitur, vt iumenti sarcinati moles in pedẽ eius incumberet, vnde se nullo conatu, quãuis diu luctatus poterat explicare, & quod altæ iam essent tenebræ, nemo iacenti sub tanto onere succurrebat, fatigabat ille cælũ precibus, surdũ tamen, quoad menti succurrit adhuc in terris degẽs Canisius. Ergo rursus ad Deũ versus *Supreme*, inquit, *rerũ ac mortaliũ arbiter Deus, per Canisiũ ego te nostrum, virum tibi tantâ vitæ innocentiâ & sanctimoniâ operantem, seruientemq́ue vltimis votis rogo, quæsoq́ue ex hoc me præsenti mortis eripe discrimine*. Dictum factũ, pedem nullo negotio hærentibus in cloaca ocreis, calcaribus, & equo miris modis expedit; mox etiam iumentum sequitur trahentem, ipseq́ue sartus tectus domum reuertit. Quinto pòst die alterius negotij cau-

ſa, domum noſtram Caniſij conſiliũ quæſiturus venit, periculi iam immemor, nec certus, vtrum ope Caniſij ex illa nocte & morte eluctatus ſit, cũ ad eum Caniſius: *Ecquid ſuperioribus diebus tecum ad S. Antonium actũ? Eſt quod erga Deum te gratum præſtes: de me velim omnino taceas*: Tũ verò alter, non ſine confuſo ore & quodam animi ſtupore, quòd neminem præter ſe conſcium periculi fuiſſe ſciret, & Caniſium longè etiam diſſita diuinitus cognoſcere videret; *Iam* inquit, *intelligo, Pater, quo loco ſis apud Deum, & cuius beneficio præſentẽ mortẽ euaſerim. ipſe qui tibi hoc ſignificauit, antequã ego ingratus vllũ verbum facerem, ſempiternis te bonis auctet ditetque*. Tum demũ in quanto diſcrimine fuerit verſatus, ac tandẽ implorato per ipſius memoriã Numine, ſalutem ſuã expediuerit, cœpit exponere. Certè radius hic mirificè Caniſiũ noſtrum illuſtrat, & illius cũ Deo

fami-

familiarem gratiam ostendit. Sed hæc & hisce plura de viuo.

Mortuum haud paullo pauciora commendarunt. Nam altero ab animi è corpore digressu die, vultus, qui macie ante mortem extremâ confectus, in ossa recesserat, tam lætâ coloris purpurâ suffusus, spectatorẽ non solum non terrebat, sed ad contemplandũ etiam atque etiam inuitabat; cùm defuncti os gratiorem haberet aspectum, quàm habuerat pallor viuentis, *Facies*, inquit Veronius, *Canisii defuncti & læto colore elegans, & clara erat*. ex quo facilè de vitæ ante actæ laude morũq; sanctitate existimari poterit, præsertim cùm halans ex corpore spiritus, omni florum & aromatũ odore gratior circũstantes afflaret; quæ res ita populum affecit, traxitque vt à sacro Canisij pignore non potuerit auelli, quoad sepulturæ mãdaretur. Vnde licet arbitrari, quæ fuerit in cęlo triũphãtis gloria, cuius

cinis in terra, iam tum quandam ſpirabat immortalitatem.

Haud diu fuit poſt eius obitum, cùm ex ordine Senatorio clariſſimus vir Chriſtophorus Reiffius Sociorũ amantiſſimus, excuſſus equo, adeò lęſit corpus, vti ſex ipſos menſes fruſtrà vulnerarij manum expertus, nil niſi iam ferrum & ignem à chirurgo expectaret. Sed vxor Chriſtophori; femina nobilis Barbara Meſſelonia, vicem mariti dolens, periculumque è ſectione metuens ad notum Friburgenſibus aſylum, tumulum Caniſij confugit, precibuſque malum omne à viro auertit; domum quippe ex ęde reuerſa maritum ignarum voti ſui, habuit obuium inuſitatâ geſtientem lætitiâ, & mirificè ſibi gratulantem de receptâ præter ſpem omnem ſanitate, quâ iam nunc etiam ſaluus ſanuſque ac gratus, memorq; beneficio Caniſij fruitur. Quod vti geſtum eſt, ita publicis Magiſtratus tabu-

tabulis firmatum, quæ in chartophylacio Collegij custodiuntur, meritò ad verbum, nullo mutato apice, adſcribendæ.

Sebaſtianus Vero S.T.D. Venerabilis Capituli S. Nicolai in Repub. Friburgenſi Præpoſitus, & vacante ſede Epiſcopali Lauſannēſi in eadem Diœceſi auctoritate Apoſtolicâ Vicarius Generalis. Certũ facimus, cũ Reuerēdus in Chriſto Pater D. Petrus Caniſius Societ. IESV *Theologus (qui lucubratis operibus Catholicæ fidei multũ adiumēti attulit, & vniuerſo Chriſtianiſmo notus) nō tã viuendi ratione commendabilis, quàm quibuſdam ſupra humanũ naturæ curſum dictis & factis admirabilis extiterit, & non ſine certa quadã ſanctitatis opinione ex hac vita diſceſſerit: Cuius proinde memoria in benedictione eſt: Vt poſteritati teſtimonium ſit eorum, quæ in hac vrbe Friburgenſi, vbi vitã clauſit, admirabilia & ſuper naturalia circa ipſum contigerunt. Subſcriptus Nota-*

Notarius iuratus, eiusdē vrbis Secretarius, nostri dicti Vicarij consensu & permissione, præsentibus testibus infrà nominatis, relationē scripto excepit, & in hanc, quæ sequitur, formulam redegit.

Wilhelmus Krumenstoll inter primarios Senatus, ætatis annū septuagesimū primum agens, Qui affirmauit, & per propriæ futuræ salutis spem sanctè testificatus est, dum circa bienniū ante obitum eiusdem R Patris Canisij, in celebre Monasterium Altæripæ vnius horæ itinere ab vrbe distans, Rdo. D. Abbati coloni cuiusdā sui negotiū commendaturus, sese cōtulisset eques, & in reditu comitē à ponte Glanæ riui rectâ domū in villam de Onens tendere iussisset, ipse verò solus circa brumale solstitium pergeret ad vrbem & sacellum S. Antonij propè hospitalis fundū, iam obscurâ nocte & tenebris circumfusus, attigisset, equum quo vehebatur, nō satis validum cœno immersum concidisse, & corruisse, ipsum verò crure ab equo hærente,

rente, diu luctatum, & frustrà diuersa conatū fuisse, quomodo sese inde extricaret. Tandem postquā diuinum implorasset auxilium, & patronorū suorum intercessionem (inter quos prænominatus R. Pater Canisius etiam viuus in honore ipsi habitus) vt Omnipotens ipsius Patris Canisij intuitu & meritis, se inde expedire & liberare dignaretur, factū esse, vt ocreis cum calcaribus sub equo remanentibus, & luto immersis ipse pede liber euaderet, & illæsus equū etiā extraheret, & reliquum itineris sine impedimento conficeret. Post quinq; dies verò adiens eundē R. Patrem alias ob caussas, cùm nemini eorum, quæ ipsi contigerant, mentionē fecisset quod ad eiusdem Patris notionem peruenisse potuisset, Patrem Canisiū vltrò & per se quæsiuisse ab eodem D. Krumestoll, quid ipsi ante hos dies vespere propè Capellā S. Antonij accidisset? Tum ipsum quasi ingratudinis conuictum, confestim pudore perfusum esse, & gratias eidem R. Patri

Patri egiße, quod suis meritis periculũ euasisset. Ad quæ Pater illũ bono animo esse, & supra narrata seruare secreta iußit. Interfuêre præsentes huic relationi Dominus Pancratius Python, olim tercentenarius dux in Belgio, & Vlricus Burgkhnecht, hospitalis maioris D. Virginis scriba, vterq; ciuis Friburgensis, die Mercurij, quæ erat vltima Martij Anno à salutifero partu M.D.XCIX sequenti die primo Aprilis eiusdem anni testibus expreßè vocatis, Petro Perret Notario, & Ioachimo Schnell Organista veteri, etiam ciuibus ibidẽ, nobilis & honesta matrona Barbara Misselo, Domini Christophori Reiff Senatoris Friburgẽsis & Domini in Mides Vilarsel, & Mesiere, vxor ætatis circiter quinquagesimũ annũ agens, sanctè affirmauit, & bonâ fide, dũ eius maritus in vico, cui Paruus paradisus nomẽ est, equo in terrã prolapsus, hoc casu ingentes dolores per sex menses perpeßus esset, vt quandoq; integros dies decũberet,

ret, aliàs verò dũ negotia curaret, difficulter respirare posset; & quidquid hoc dimidiati anni spacio tentasset, diuersis medicamentis nihil profecisset, & anxia esset, ne propter offensas intrinsecas partes, ad alia extrema secationis rẽmedia recurrendũ esset, accidisse paucis diebus postquam R. P. Canisius sepulturæ mandatus esset, vt ante ipsius fossam genibus prouoluta, Dei opem pro marito ægro efflagitaret, meritis & intercessioni incolumitatem eius commẽdaret; postea domum ex templo reuersa; Maritus hilaris & gratulabundus statim eam alloquutus, omnes dolores sedatos, seque integræ valetudini restitutum, amplius difficultates priores nequaquã sentire. Ex quo ipsã certò cognouisse, & credere, siquidem Maritus ipso tẽpore imploratæ opis boni Patris sine vlla apparente naturali caussa conualuisset, quod ope & suffragiis eiusdem R. Patris hoc tantum beneficium à Deo impetrasset. In quorũ omnium fidem & robur

robur nos prædictus Vicarius, sigilli nostræ Præpositura appositione, hæc præcedentia fide digna testimonia iuxta Notarij Chirographum confirmauimus.

Antonius à Montenach.

XIII. VIdua ingenuis orta natalibus olim à mariti, (qui cum nō amplius sex menses vixerat) morte castimoniam Deo consecrauit, & vsa Canisio à confessione, constanter decem & octo annos seruarat, cùm defuncto Canisio ac veluti custode castitatis remoto, à pluribus in matrimoniū enixissimè peteretur, quāuis omnium vota petitionesque fortiter reiecerit, cœpit tamen ex ea re mirâ cogitationū turbâ agitari quatique, adeò vt nullum tanti mali exitū reperiret, præsertim cùm proci semper instarēt, & Penelopes nouæ cōstantiam quotidianis sollicitationibus & oppugnarent, & vehementer etiam fatiga-

fatigarent. Tandẽ illa inops consilij, auxiliũ à Canisij tumba postulauit, & subitò impetrauit, vt non solùm ambientium postulationes facillimè vinceret, sed omni etiã animi vexatione liberaretur. Eadem graui morbo implicita, artibus medentiũ frustrà tentatis ab animi & corporis sui medico pręsentem opem impetrauit. Eidem in faucibus hæserat fragmen ossis, & diu solaque in ædibus cruciata, implorato familiari auxiliatore, os ex ore expuit, & assiduis patrem laudibus coluit. Alia etiam Epilepsià ad tumulum Canisij liberata est.

Castimoniæ asylum Canisius.

Honestæ matronæ biduum parturientis, & iam de fœtu enitendo desperantis, corona B.V. Canisij ori & collo admota partum conclamatũ, paullo post viuum explicauit.

XVIII Partu leuata

Et hæc beneficia hodie Friburgi dicuntur propè quotidiana. Seruatur ad eum vsum Canisij Rosariolũ pyxide clausum; & ad laborantes petitum

Rosarium Canisij medicum.

petitum transmittitur. Multum potest pietas credentium, quam sæpè spectat Deus, ne quid nobis fortasse plus æquo, arrogemus.

Ante bienniū cIↃ.inquam IↃc.xi I. sexto Idus Iunij ancillabatur puella nobili matronæ Beremannæ viduæ, prætoriis olim nuptiis claræ; hæc, grassante clam per vrbem pestilitate, morbo contacta sensit eadē se lue, quâ olim etiam laborârat, infectam. Ad capitis enim & pectoris dolores, vlcerosa quoque vomica eruperat, certa pestilentiæ nota. Incerta vitæ neque negligens salutis, rogat familiares ancillas vti sibi sacerdotem curent accersiri, cui noxas aperiat, priusquam decedat. Neglexêre tamen famulæ preces ægræ, veritæ ne domus infamiâ mortis notaretur. Sed quæ decumbebat (cunctante curione, quod vocatus non esset) ne ante noctem inexpiata vitâ pelleretur metuens, venit in memoriam Patris, qui

qui ad D. Nicolai sepultus (cuius nomen ignorabat) dubiis temporibus soleret in auxiliũ vocari. Huic commodè vouet preces ad tumulum ipsius, si efficeret, ne ante noctem absq; peccatorum confessione exspiraret. vix conceperat votum, & pulsis omnibus corporis malis surgit è lecto, & quotidiana cum reliquis in familia opera exequitur, ludentibus domesticis quasi inualetudinem ex ignauia simulasset. Sed & ipsa quoque infelix oblita voti cœpit dubitare, an à Canisio esset curata. Enim vero extemplo in eundem relapsa morbum, nihil habuit prius quàm vt ad Canisij conditorium properaret, votoque se exsolueret. accurrit, apprecata est: & salua domum absterso etiam infami tubere rediit. Ita rem hanc Collegij Friburgẽsis præses Barptolemæus Weldensis publicâ Magistratus auctoritate signatam, ad me perscripsit.

LVCVBRATIONES CANISII.

CAPVT V.

Eloquētia ad omnē vitæ vsū & studia necessaria.

CAnisius bene latinè doctus, Eloquentiæ puer magnam operam posuit, quæ postea res diuinas tractanti magno subsidio fuit. Vt enim corpus quamuis elegās & venustum, si tamen apto cultu amictuq; careat, dignitatem amittit; Ita disciplinæ grauiores, nisi cultu orationis & maiestate compositionis excolantur, multū de dignitatis auctoritate perdunt. Et quamuis Canisius pigmenta Rhetorū, & lenocinia verborū neglexerit, vsus tamē est non incōmodo barbaròve genere dicendi, (quale id ætatis passim per Theologos grassabatur) sed commodo, & rebus, quas tractabat, accommodato, vt in ipso neglectu curiosæ elegantiæ honestus quidam orationis habitus cultusque appare-

appareret. In libris porrò condendis ſcribẽdisq́; tantũ ſtudiũ adhibuit, vt manũ de tabula vix poſſet tollere, adeò nullũ emendandi &recognoſcẽdi finem faciebat, etiã tum, cùm formis æneis ſubiecti libri ſub prelis gemebant, fatigabat ſubinde operas aliis atque aliis verbis identidem ſubiectis, vti propè per vim ſcripta illi fuerint extorquenda, quòd nunquam ſibi ſatisfacere videretur, vt vſu venit iis; qui non vt populo placeant, condũt fabulas, ſed vt orbem terrarum vel à prauis erroribus mẽtis expediãt, vel peruerſos populi mores emendent, allaborãt. Applicauerunt illum parentes Iuris prudentiæ; propendebat Caniſius ad ſacrarum litterarũ cognitionem, quo illum diuinior mens trahebat. Vt patri tamẽ obtemperaret, & leges apertè perdiſcebat, & clam rerum cœleſtium ſtudiis vacabat, in quibus tantoperè profecit, vt facilè æquales omnes ſuperaret,

Diligẽtia Caniſii.

peraret. Statim enim à patris morte se ſanctioribus Theologiæ diſciplinis totum emancipauit. Et quia ſemper Muſis Virginibus cum Venere malè conuenit, pudoris quoque florem æterno voto conſignauit, neque læſit vnquam. Cæleſte quoq; Numen in puram & ſanctā mentem pleno ſe flumine infudit, quod poſtea per calamū & vocē in omnes propè gentes effudit. Cōpoſuit enim volumina nō pauca inter ingentes negotiorū moles. Primū omniū S. Cyrilli pōtificis Alexandrini vigilias duobus voluminibus diſtinctas ex Melchioris Noueſiani formis edidit, quas ego tamen non vidi. Sed ita narrant Acta Collegij noſtri Coloniēſis. *Anno* CIƆ IƆ.XLV. *Caniſius deinde reuerſus Coloniam Theologicis ſtudiis ſe totum immerſit, formatusq; Baccalaureus, Cyrilli Alexandrini opera duobus tomis diſtincta ex officina Melchioris Noueſiani eleganti typo edidit, quorū alterū Archie-*

chiepiſcopo Sebaſtiano Moguntino;alterũ Theologiæ ſtudioſis condiſcipulis ſuis dedicauit.Hoc adieci,quod in ſyllabo lucubrationũ Caniſij, Cyrillus fuerit præteritus.S.quoque Leonis Põtificis opera omnia,emendauit in Vbijs.Deinde viennæ *Summam doctrinæ Chriſtianæ*,ſiue *Catechiſmum*,breuem quidem illũ, ſed præclariſſimũ, & qui copioſæ bibliothecæ inſtar ſit, conſcripſit:quem Petrus Buſæus noſtræ Societatis Theologus pereruditus locupletauit,explicatis & integrè ad verbum adductis ſanctorum Patrum teſtimoniis,quæ Caniſius extra ordinẽ verſuum ad oram indicauerat,& in anguſtũ coaceruauerat,quaſi digitum in fontes intendens.

Scripſit etiam aduerſus Magdeburgenſes Cẽturiatores Commentariorum *de verbi Dei corruptelis*

Tomos II.quorum prior eſt

De venerãdo Chriſti Domini præcurſore Ioanne Babtiſta. Poſterior.

 De

De sanctissima Virgine Maria Deipara; ingens atq; spissum opus in sex libros diuisum: in quo quidquid impij mentiuntur, & ad deprauandas scripturas, & pręcursoris, & Dei Matris gloriā obscurādam adferunt, luculenter, grauiter, eruditeq; cōfutat.

Scripsit Fastos Sanctorum ad modū Romanum, Adonis, Bedæ, & aliorū.

Concionū Tomos II. seu *Notas aureas* in Euāgelia Dominicarū, & Festorū per totum annū, senectâ iam ætate.

Et duos alios libellos aureos, *Exercitamenta Christianæ pietatis*, & *Manuale Catholicorū*: Et hæc quidē Latinâ voce, nostrate verò Germ. scripsit *Cōciones* in quatuor Dominicas aduentus, & in Natalem Domini.

Librum precationum.

Librū de confeßione & cōmunione.

Vitas SS. Fridolini, Mauritij, & sociorū Thebæorum. D. Nicolai Eremitæ.

Deniq; euulgauit & latè.

Selectas à se D. Hieronymi Epistolas.

Para-

Parabat & volumen de Christo, & alterũ de S. Petro, quemadmodum de Beata virgine, & Ioanne Baptista confecerat, sed conatus tantos vires destituêre. Apponerē huc Alphonsi Salmeronis Epistolam ad Canisium olim datam, quâ viri eruditio & virtus mirificè illustratur. Sed quia longior est, quàm vt huc transferatur, & in Salmeronis operibus legitur, poterit lector illā inde, si volet, petere.

ELOGIA IVDICIAQVE VARIORVM DE CANISIO.

CAPVT VI.

CAnisio, nescio quo pacto, contra ferè morem sæculorum vsuuenit, vti viuus plurimum celebraretur, & mortuus amplius coleretur; præsertim vbi sacrũ eius pignus corporis apud Heluetios cum summa veneratione custoditur. Virum admirabantur Pontifices, venerabātur Cæsares, Cardinales, Principesque

officiosissimè complectebantur; antagonistæ formidabant, inferorum Principes refugiebãt, tanta de viuentis virtute fama longè lateque differebatur. Ferdinandus Imperator tuendæ pietatis & Catholicæ doctrinæ per omne imperium Romanum defendendæ ac propagandæ studiosissimus, Canisium in edicto suo pro illius catechesi proposito appellat *honorabilem, religiosum, deuotũ, sibi dilectum*. Albertus Boiorum princeps illud columen Germaniæ, secundum Deum, Canisio & Hoffæo religionẽ Catholicam, & salutem gentis suæ defensam & retentam in acceptis retulit, solitus de vtroque dicere: *Petrus Apostolus, & Paulus doctor gentium ipsi nos docuerunt legem tuam Domine*. Ex annalibus Academiæ Ingolstadianæ, cui cum summa potestate præfuit, hoc factum de illo iudicium huc putaui transcribendum.

Alberti Principis Boiorum iudiciũ de Canisio & Hoffæo.

Anno

Anno Domini CIↃ. IC. *L. die XVII. Octobris Rector centesimus quadragesimus octauus Petrus Canisius Doctor, Theologus, & professor Societatis* IESV *Collega. De hoc Magnifico Domino Rectore nescio certè quid scribam. Nam si tantum eius ponam nomen multis & præstantißimis illius viri, & de Catholica Ecclesia optimè promeriti virtutibus fit iniuria: Si Encomiasticon instituam, luci intulero tenebras. Quid igitur faciam in eo, qui laudari neque à me, neque à disertißimo quoque potest condignè? Remitto lectorem ad illius opera, & disertè, & eruditè, & Catholicè hactenus edita. Si quis meliora & maiora, quâm ego possum, se præstare confidit, is viderit, quomodo de tanto heroe, tam pio viro, tam forti Ecclesiæ Catholicæ Athleta benè posit dicere. Ego vnum dixero: Lumen est nostro tempore inter Doctores Ecclesiæ. Viuat sibi, viuat Ecclesiæ, & religioni Catholicæ.*

Ex Academiæ Ingolstadianæ Analibus

Addamus & alterum ex eiusdem Academiæ monumentis.

Sed ad propositum, & imcomparabilem virum Petrum Canisium diuerto, cui tamen Encomiasticum minimè polliceor, sed id tantum præstiturum, vt eum ab obliuione apud posteros vindicem, & qualemcunque inter Theologos possit habere locum. Dicam tamē quod sentio: vir est diuini propemodum ingenij, & eruditionis incomparabilis, Philosophus eximius, quod illi penè cū omnibus Patribus de Societate cōmune est; Theologus profundus, & lectionis infinitæ, quod cū plurimis; sed quod illi neque omninò cum multis, neque omninò paucis est commune, Orator valde eloquens, Ecclesiastes pariter grauis, & iucūdus.

Canisius Orator, Cōcionator, Philosophus, Theologus.

Probauit & eruditionem suam & eloquentiam, & in dicendo prudentiam (namque eloquentia sine prudentia & eruditione est inanis garrulitas) sæpius Illustrissimmo Duci Bauariæ Alberto Quinto, cui iure & merito fuit gratissimus

ſimus; tum etiã multis annis Eccleſiæ & vrbi Auguſtanæ, vnde diſcedens tanquam ſui amoris quoddam pignus reliquit Dominum Gregorium Roſeſſium. Deus Opt. Max. tantum virum, tam fortem Eccleſiæ ſuæ propugnatorem, tam benè de religione meritum, lumen deniq; Doctorũ Eccleſiaſticorũ ampliſſimũ & clariſſimũ quã diutiſsimè ſeruet incolumẽ. Et poſt hanc vitã pro exantlatis eius in Eccleſiæ & religionis incolumitatẽ & incrementũ laboribus, æternam ibi æternæ vitæ coronam benignè largiri dignetur.

Ex Patrum Academicorum, Et Academiæ ipſius iudicio de Caniſio

Hæc de viuo Caniſio Annales Ingolſtad. Poſuit eidem mortuo Academia Theologica hoc elogium.

Petrus Caniſius Neomagenſis ex Geldria, S. Theologiæ D. primus è Germanis Societatis IESV Religioſus verè Germanus, ac deinde eidem Societati in Germania primus Prouincialis Præpoſitus, ab ipſo B. Patre IGNATIO ob inſignem animi modera-

tionem, constantiam, prudentiam, à summis ad summa non rarò missus, vocatus, postulatus: à Gvilielmo iv. vtriusque Bauariæ Duce ad hanc Academiã, in qua professoris Theologi, Procancellarii & Rectoris munere functus; ab Othone Cardinali, Episcopo Augustano ad S. Cõcilium Tridentinum à * Carolo V. Imperatore in Causa Religionis Wormatiam; ab Imperatore Ferdinando Augustam, atq; ad Episcopatum Viennensem, quem recusauit. à Pio iv. Pont. Max. ad fidem in Germania ac Polonia propugnandam, propagandam, &c. Dum & sacris concionibus, etiã apud Imperatores & Duces assiduè habitis, & variis libris pro fide, pro pietate editis, rem Catholicam mirificè iuuisset, promouisset, & perpetuam vitæ innocentiam, & summam in omni virtute præstantiam, admirabilem sanctitatis opinionem consecutus esset, tandem Friburgi Hel-

* Ferdinãdo.

Heluetiorum sanctam amimam Deo reddidit die festo S. Thomæ Apostoli. Anno CIƆ.IƆ.X C V I I. Vixit annos L X X V I. Menses V I I. dies X I I I.

Guilielmus Eisengreinius in Catalogo testium veritatis. *Petrus Canisius, sacræ paginæ Doctor, Societatis* IESV, *vir cũ eloquentia, tum multarũ rerum peritiâ & mirabili ingenii flumine præstãtissimus, philosophus clarus, Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Catechismum Christianum perfecit. Sacra quatuor Euangelia, & Epistolas Pauli commẽtariis illustrauit doctissimis, Martyrologium siue de Sanctis Ecclesiæ scripsit.*

Iuuat & Cornelij Loos Callidij tabulas adducere ex libro de illustribus Germaniæ scriptoribus.

Corneli Loos.

Petrus Canisius Nouiomagi Geldriæ Belgij prouinciæ principe oppido, ex honesta familia Patre consule progenitus. Quum rei literariæ felicem operã nauasset, vtrâque linguâ

 doctus

dectus; quo maiore cõmoditate sacris studiis posset incumbere (vt de eo quidã scribit) ordinẽ Societatis ingressus est. Qui sacræ professionis sublimi purpurâ donatus, Ingolstadij, Dilingæ, & in aliis Gymnasiis, & Germaniæ locis diuinas literas professione prælegit; simul alia pietatis officia strenuè exequens. Quumq; præter eruditionem insigni facundiâ præemineret, Augustæ Vindelicorum Ecclesiastes quondam ab Othone Cardinale Augustano constituitur. Quam functionẽ cùm magno Catholicæ religionis zelo exequeretur, vt ipsum aduersus profanas hæreseon nouitates assereret, & comprobaret, nominis celebritate passim omnibus innotuit, adeò vt sui ordinis columen facilè haberetur.

Nec Ioãnes Cochlæus tacuit Canisiũ Epistola ad Hieronymũ Verallũ Archiepiscopũ Rossanensem, postea Cardinalẽ, & Nuntiũ Apostolicũ ad S.C. M. Eystadio (an. CIↃ. IↃ. XLV.

Wor-

Wormatiã reor) missa, quâ primos nostræ familiæ Patres vocat *integerrimos, doctissimosque viros, piissimos in Societate nominis I E S V Christi fratres, M. Nicolaum Babadillam Hispanum, & M. Claudium Iaium Allobrogem, ac M. Petrum Canisium Sicambrum, qui,* inquit, *cùm Reuerendissima Dominatione tua familiarissimè conuersantur, ac Deo & proximo omni pietatis & charitatis officio famulantur.*

Illustre quoque de Canisio iudicium est Baronij Cardinalis. *Interim,* inquit, *his fruere, quæ venerandus P. Canisius, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, non minus piè quàm ornatè atque eruditè suo more scripsit.* Eiusdem leges de Canisio elogium A.XXXI. *Licet ad illos imperitiæ, dementiæ, ac vt vno verbo dicam, nequitiæ redarguendos summo iure nō defuerit vigilans studium eruditissimi ac maximè pij viri Petri Canisii, ad quem, qui tanta cupit, amandamus.*

Baronij Anal. primo.

Bonhomij Episcopi Vercellensis. Quid de Ioanne Francisco Bonhomio antistite Vercellensi dicam, qui Canisium Seuatui populoq; Friburgensi primùm sistens: *En*, inquit, *habetis virum non secus ac pignus quoddam sacrum, singulari venerationis cultu prosequendum, custodiendumq;* adeò religiosè de Canisio minimè malus pietatis arbiter sensit.

Ribadeneiræ. Ribadeneira in syllabo scriptorum Societatis hæc de Canisio tradit· *Petrus Canisius natione Belga, patriâ Nouiomagensis, à puero se dedit studio pietatis. Cùm nata nondum esset Societas, femina quædam opinione sanctitatis vulgo nobilis, matrem eius admonuit, vt magnâ Petrum curâ educaret, quòd breui Religio quædam Clericorũ instituenda foret, quæ eximias Dei Ecclesiæ vtilitates esset allatura, in quam Religionem filius eius adscriptus vir apprimè insignis haberetur. Vaticinium seu præsensionem feminæ rei probauit euentus. Nam paulò post*

Socie-

Societas instituta est, in eamq́ Petrus anno salutis CIↃ. IↃ. XLIII. *P. Petri Fabri operâ primus omnium Transalpinorum cooptatus, illam exemplo, doctrinâ, præstantis ingenii monumentis recens natam mirum in modum illustrauit. Germaniam superiorem Præpositus Prouincialis rexit, cõcionibus auxit, Hæreticos disputationibus repressit, Catholicos confirmauit. Ex quo hæretici Canisiũ CANEM AVSTRIACVM per ignominiam, appellabant, quod in Austria plurimum versaretur: Sed haud canem mutum, aut non valentem latrare, sed qui latratu ac morsu lupos passim grassantes ab ouili Christi arceret. Episcopatum Viennensem à Ferdinando Romanorum Rege, sibi oblatũ cõstanter repudiauit Rursum: Porrò de Canisii cãdore animi, puritate, humilitate, deuotione, orandi studio perfecta omniũ humanorum affectuũ mortificatione, ardore fidei, animarũ Zelo, indefesso labore, & perpetuâ*

tua contentione, quâ religionẽ Catholicam ſemper tueri, ornare, amplificare non deſtitit, cæteriſq́; eius ornamentis virtutum, multa poſſent dici, quæ iuſtum volumen deſiderant.

AVBERTI MYRAEI IVDICIVM DE CANISIO, ET ENcomium.

ABſoluam hoc caput vbi nouas Myræi tabulas pro honore Caniſij explicaro. Sic enim ille in Elogiis Belgij ſcriptorum: *Vt magnum illud Eccleſiæ lumen Auguſtinus olim in Affrica Manichæos, Donatiſtas, & Pelagianos, ſic noſtrâ ætate Lutheranos, Caluiniſtas, & Anabaptiſtas in Germania ſtrenuè Caniſius oppugnauit Is Neomagi, quod vetuſtum ac celebre Sugambrorũ, (Ducatus hodie Geldrici oppidũ eſt, ad Vahalim fluuium) Patre cõſulari natus anno* CIↃ.IↃ.XXIV. (errat in annis Myræus) *adoleſcens ob varias ingenii dotes, Moguntiæ celebris fuit. Eo tũ fortè Colonia Agrippina*

CIↃ.IↃ.XXI. *natus eſt non* XXVI.

na

n.1 Petrus Faber Allobrox vnus ex decem primis Ignatii Loiolæ sociis veniens, Petrum morum innocentiâ & doctrinâ singulari sibi charũ in Societatem IESV adoptauit. Pòst in Italiã missus, Primus sociorũ Rhetoricã in Sicilia docuit; Ciceronem quotannis assiduè legens: Vnde eam sibi eloquentiam graui Theologo dignam cõparauit, vt sæculi sui Hieronymus audiret. Inde euocatus ab Ignatio mittitur ad Guilielmum Bauariæ Ducem, Ingolstadii scholasticam quam vocant, Theologiam professurus, Alphonso Salmerone & Claudio Iaio collegis. Sed & alias Germaniæ Academias, in eis Viennẽsẽ Austriorũ, Pragensem Bohemorũ, Dilinganã Sueuorum, Coloniensem Vbiorũ, Friburgensem Heluetiorũ docendo illustrauit. Concionibus autẽ (nã & Germanica lingua disertus erat) in aulis Ferdinandi & Maximiliani Imp. Guilielmi & Alberti Bauariæ Ducũ, Othonis Truchsesii Cardinalis Augustani, alio-

Canisius sæculi sui Hieronymus.

aliorũq́; principum valuit. Ferdinando Cæsari in primis charus erat acceptusq́;, cuius etiam auctoritate ac iussu Catechismũ verè aureum bono publico conscripsit: quem ciuis eius ac propinquus Petrus Busæus Societatis eiusdẽ Theologus, citatis è SS. Patribus integrè locis, mirificè illustrauit. Eiusdem quoque Imperatoris auspiciis Pragæ primus Collegii Societatis fundamenta posuit, quo Hußitarũ, & Wiclefitarum hæreses infringerẽtur. Et mox Ignatius Germaniæ Prouincialem præfectum instituit. Cumq́ue ea ferè tempestate Ministri Magdeburgenses sumptibus protestantiũ in Germaniâ Principum, Centurias hoc est, mendaciorum plaustra euulgassent, primus ferè canisius pro Deipara virgine & Christi Domini præcursore pugnauit; edito ingenti de corruptelis verbi Dei volumine, quo petulanter atq́ue impiè Diuis insultantium hæreticorum calumnias dißipauit. Annis iam plurimis docendi concionandiq́; munere con-

consumptis, quæ cogitata primùm, rectéque obseruata de SS. Apostolorum dictis factisque contra sectarios in aduersaria retulisset, quæque in Euangelia anni totius legendo piéque meditando notasset, literarum monumentis disertè consignauit; vocauitque NOTAS ET MEDITATIONES EVANGELIORVM, *festorumq́ anni dierum. Eis sanè perutiles qui de superiore loco cum spiritu fructuq́ de verbo Dei disserere ad populumq́ verba facere in tãta Homiliarum copia student. Apud Heluetios ad extremam vsque ætatem degens, adeò carus fuit, vt eripi sibi innocentißimum virum minimè paterentur. Naturæ concessit non sine opinione sanctitatis Friburgi in Heluetiis,* CIↃ. IↃ. XCVII. *senex quidem & ætate defecta, qui tamen propter excellentem doctrinam ac virtutem videbatur omnino mori non debuisse.* Hæc Myræus quasi panegyrica Canisio condens, tetrastico conclusit.

Quis

Quis fidei expediet mysteria? Petrus opella
Exigua fidei grande recludet opus.
Petrus, quem soluit felix Germania Patrem,
Quem stupuere olim curia, templa, scholæ.

Sed literæ & eruditio & præcepta viuendi libris tradita tum demum prosunt auctori, nec minus lectori, cùm rationes vitæ à doctrina nõ dissentiunt, quod vt faceret Canisius, omni ope contendit, vti tribus sanè libris iam ostensum est.

Iam aduersariorum opinio de virtute & eruditione Canisij nõ minor erat apud plerosq; omnes, quàm nostrates, quos suprà ad testimonium citaui, cùm ostendi illum vel auctorem Societatis vniuersæ existimatum, vel certè eiusdem instauratorem.

DE

DE VITA ET MORTE R. P. THEODORICI CANISII, QVI FVIT PETRI EX PATRE FRATER.

IDEM AVCTOR.

MAntissæ loco complectar paucis, quę partim ex ipso Theodorico cognoui, partim ex familiaribus eius accepi. Nec enim meo quidem animo multum Petro in religionis studio concessit, quamuis virtutem omnibus modis tegere solitus sit, cùm esse, quàm haberi sanctus mallet.

Natus & hic, vti Petrus Neomagi Sicābrorū, eodē patre, diuersa matre anno

anno poſt Chriſtum Natum ſeſqui
milleſimo altero ſuper triceſimum,
diſciplinis elegantioribus, philoſo-
phicis,& Theologicis adeò celeriter
excultus; vt altero & viceſimo hu-
manam & diuinam ſapientiam pro-
feſſus publicè, ſupremis Academia-
rũ honoribus ornatus ſit. Moribus e-
rat tam honeſtis & pudicis, vt florẽ
ætatis nullâ vnquã labe ſordéue cu-
pidinis aſperſiſſe putetur. Vbi verò
cœpit cogitare, quod genus vitæ ſe-
queretur, ingentibus curarum æſti-
bus iactatus, nullam animo quietis
partem capiebat, quoad decreuit ſu-
um inter Socios nomen ſe profeſſu-
rum; extemploq; vt ipſe mihi coram
faſſus eſt, cogitationum fluctus ſede-
re, omneſq; turbinum ac turbarum
procellæ poſuêre, vti tanquam in ſe-
reno tranquilloq; mari, portum ſibi
ſecundis ventis ſubiſſe videretur. Cũ
deinde Petro Caniſio fratri, Sociis
pręfecto votũ coram expoſuiſſet, pe-
tiſſetq;

tiſſetq́;, vt illud ratũ ſanctumq́; vellet, & ſe in Societatis familiã cooptaret, Petrus eius conſtantiã (non minus B. Staniſlai Koskæ) haud paucis experimẽtis explorauit, iuſſitq́; longo itinere Romã petere, & ab ipſo Ignatio impetrare, quod à ſe efflagitaſſet. Properauit ergò Romã Theodoricus anno Chriſti CIↃ.IↃ.LIV. cùm alterũ & viceſimum ageret ipſe, atq́; ab ipſo B.P. Ignatio gentis noſtræ conditore in familiam Societatis adſcitus eſt, adeoq́; poſt aliquot menſes, in ipſius contubernium admiſſus, vt ipſi Socius à cubiculo eſſet, quo poſt biennium ad cælitum Societatem euocato, Theodoricus in Germaniam miſſus, tribus Collegiis cũ Rectoris auctoritate præfuit annis omninò triginta; Monacenſi aliquot, Delingano ipſos viginti, reliquos Ingolſtadiano, quæ tria nobiliſſima ſunt & frequentiſſima Prouinciȩ noſtræ domicilia. Eo demùm onere leuatus,

Lucer-

Lucernam Heluetiorum missus (mirificè enim illam gentē propter singulare studium pietatis cōplectebatur) operā suam tum Sociis domi, tū exteris in templo vtilem locauit. Sed cū Ingolstadij, vbi domestica potissimū eaq; frequens Societatis iuuētus ad maiores disciplinas eruditur, Rector desideraretur, quòd is magno rerū esset vsu; & auctoritate ob virtutis & sapientiæ existimationem plurimum polleret, denuò ad gubernacula Academici Collegij Lucerna Ingolstadium, natus tertium & sexagesimum annum euocatus est. Enimverò cùm tanta ætas tot laboribus victa, moli negotiorū succumberet, Medentiū consilio curis grauioribus exoneratus rediit Lucernam, anno Christi CIↃ.IↃ.X C V I I. quo Petrus Friburgi decessit, cuius mors cùm Lucernæ inter mensam cum virtutū eius encomio nuntiaretur, Theodoricus illico neruorū stupore obriguit

apo-

apoplexiâ tactus. qui casus adeò Patrem afflixit, vt omnem illi memoriã literarũ, adeoq; nominis sui, vt olim Messalæ, & Alberto M. aliisq; eriperet, linguæq; vsum penitus tolleret, nisi quod duo salutis nomina IESVM & MARIAM expeditè semper pronũtiaret, sat doctus sibi & cælo. sed hoc singulare & memorabile est, cùm vsu linguæ & memoriâ careret, neutrâ tamen destitutus videbatur, quod quamuis ipse neq; legere posset, neq; ab aliis lecta pronunciare, legentes tamen intelligeret; ita vt ab aliis pronũtiata vel affirmaret, si vera nosset; aut abnueret, si falsa crederet. Poterat & verba formare, sed non ea, quæ maximè vellet, aliis atq; aliis linguam subeuntibus, præsertim cùm sua certis locis ac personis nomina edere conaretur. Hoc inusitatum morbi genus illi Petrus Canisius, cùm ad eum reuisendum Theodoricus Friburgum venisset, per

ambages quaſdam denunciarat *Theodorice*, inquit, *mortis meæ nuntius vide quid tibi allaturus ſit*. Expoſuit hoc poſtea Theodoricus familiari, antequam vllâ inualetudine tentaretur. Amplius inde ſeptennio, malo hoc immedicabili laborauit, & nonnunquam in vltima iam vitæ linea ſtare videbatur, præſertim cùm ex Heluetia Auguſtam deportatus eſſet. Inunctus tamen oleo ſacro, & ſenſum & vocem quoque modò recuperauit, circumſtantiq; Patrum coronæ, vt abirent, imperauit; obeundi tempus nondum adeſſe. Simulque petitâ Virginis Dei genitricis imagine lecticæ obuertenda, dulce cũ Dei parente colloquium inſtituit. Saluti tũc creditur fuiſſe B.P.N. Ignatij pileus ægrotanti impoſitus. Hoc moleſtiſſimum patientiſſimo videri poterat, quod intra tot annos velut in Solitudine poſitus cum nullo communicare animi ſenſa poſſet (quod maximum

Ignatij pileus in Auguſtano Collegio ſeruatur.

ximum solet ægris adferre solatium, cùm per sermonis communicationē dolorum suorum quasi partem aliquam in aliorum humeros exonerant, quos sua causa dolere animaduertunt) conscientiam tamen ita aperiebat semper, vt nihil desiderare posset, qui illum audiebat, ipseq́ue si quid à se offensum putaret, vel patrē quæreret, vel si æger non posset, accersiri iuberet. Pari modo cum superiore seriò acturus, verbis vtcunque dixit instuctus. Cùm verò & ab exteris, ijsq́; principibus viris subinde conueniretur, suam infantiam caussatus, ipso deinde silentio & religiosâ corporis compositione satis abundè locutus censebatur. Verùm quantacunq; in eo fuerit ad loquendum cōfusa verborum dictio, gemina tamen illa nomina Iesvs & Maria, ceu sacrę militię tesseram tam pertinaciter retinuit, ediditq́;, quoties voluit, vt reliquorum verborum iacturam

faciliùs ferret: cordi proculdubio iſta inſculpta hærebant: valenti namque & ægrotanti, ſedenti & ſtanti in ore ſine errore verſabantur. Maximè verò moleſta illi fuit à ſacrificiorum liturgiis & horarum Canonicarum recitatione ceſſatio. quade re ſeriò cum ſuo Socio egit; cogitaret (ſi qua ratio eſſet) velle ſe de integro literas, & earum elementa diſcere, cùm fruſtra ſe velle animaduertit, grandiuſculo charactere inſcribi voluit libello ſuo precario dicta gemina atque maximè ſalutaria nomina IESVS MARIA, quæ vti ſola affari ſine diſcrimine, ita legere ſine errore potuit. Quamuis autem alia legere ipſe neſciret, promtiſſimas tamen legentibus aures præbuit, & facilè aſſecutus eſt; ſeque interdum & lectorem ſalubriter adhortabatur, vſque dum vltimo biennio Ingolſtadij (nam eò Auguſtâ commigrârat) prælegentem ampli-

ùs

ùs non caperet. Circa res diuinas, quas nunquam non reuerenter etiam æger habuit, tantum quidem fuit illius ſtudium, vt ſacram Euchariſtiam ſuſcepturus noctem maiore ſollicitudine, quàm fractæ ferrent vires, non ſine periculo grauioris mali, traduceret. Frequentes eius erant querelæ, nulla quod in re vſui nobis eſſe poſſet, & tamen nihilominus tam benignè haberetur. Nec ſuus geſtui omni ereptus ad pietatē erat vſus: nam ea manus, quæ in aliis officiis, & corporis miniſterio ferè deerrauit, in cruce formanda admodum erat docta, & verò etiam ſalutaris. Fuit ſiquidem, qui tum aliàs ſæpè & amanter ad patrem viſeret, tum etiam cùm ſe grauioris valetudinis tentari ſenſit initiis, certus de valetudine, ſi Patris Caniſij ſe dextræ ſubieciſſet, quâ ille à ſe abeuntes piâ quadam conſuetudine in crucem formandam exercita proſeque-

ſequebatur. Hæc illi per ſeptennium & amplius vita fuit, quam optimus quiſq; veluti duram ſortem miſeratus, ille patientiâ ſuperauit. Sæpè cogitantem ſubiit mirari, quæ tandem cauſà diuturni mali Theodorico fuiſſe potuerit? tandem venit in mentem hãc illi à Petro pro piacularibus flammis expiatricem leuium culparum, quibus plerique omnes obnoxij ſumus, moleſtiam impetratam, vt hîc per diuturnam patientiã ibi plenam conſequeretur indulgentiam, niſi fortè (quod præterita illius vita & virtus iubent credere) ad augendũ immortalitatis decus & coronam hanc illi ſummus Agonotheta materiam tolerantiæ obiecit. Quid enim toto ſeptennio non eſt paſſus! cùm nec petere quidem poſſet, ſi quid vel deeſſet, vel deſideraret; & quamuis nutu conaretur exprimere, quod optabat, ſæpè tamen adminiſter illius non aſſequebatur, quod volebat

ſæpè

ſæpè & contrarium porrigebat: cui rei vnicum exponam factum, ex quo de pluribus poterit exiſtimari. Fauces Patris grauis dolor occuparat, quod ille digito ori admoto docere volebat, vt intelligeret, qui illius curam habebat. Sed hic ratus illi dẽtes condolere, vocato chirurgo eximi iuſſit, à quo torqueri patrem exiſtimabat. Is genuinum fregit. Riſum mouebit hic famuli error legentibus, ſed miſero patri auxit dolorem, quem tamen (vt iam pridem didicerat fortiter eſſe miſer) conſtanter tulit, donec tandem animaduerſum eſt, in faucibus malum hærere. Iudicij bonam partem retinuit: cætera infanti ſimilior, maximè ſub finem. Hunc cùm præſentiorem ipſe iuxta alios aduerteret, ſacro oleo inunctus, ad Cælum, ad Cælum, quanta potuit voce proclamauit: de hinc ad ſua ſalutis Symbola (IESVM inquam, & MARIAM) reuerſus nunquam illa nõ

 reuol-

reuoluit,& cùm iam ad vtrumq; amplius non sufficeret, alterutrum effatus est,linguâq; magis hebetata,cùm integrè Mariam non posset,inchoato nomine verbum tertiabat, dum elinguis deficeret: dextra interim cruces effingebat, huic itidem obrigescenti sinistra subiit,sed ipsa officij huius insolentiâ in ipso conatu elanguit. Tandem vt decenter occumberet,composito gestu & admodum religioso præmortuo penè reliquo corpore sine voce & motu dormienti similis, horis amplius viginti ægrum soloq; in pectore subsilientem spiritum leni tractu ductum, sub crepusculũ cum sole è nostro orbe digrediente ad lucem perpetuam v. Cal. Octob. Ingolstadij emisit,omine scilicet non inani,cùm à plerisq; ob vitæ innocentiam Angelus appellaretur, Angelorum ferias posterâ luce celebrandas,ipse apud superos actutus. Ea porrò facies erat extincti, vt

igno-

ignorares an viuus mortuo, vel mortuus viuo esset similior. Funeratus est in templo S. Crucis domestico, sui nempè laboris domicilio, & quasi Mausoleo, ad aram omnium Sanctorum, cũ quibus in Cælo æternos celebrat triumphos.

SYMBOLVM THEODORICI, IESVS MARIA.

Ingenium tristis deleuit nobile casus,
Et rapuit quicquid legerat antè labor;
Nomina bina tamen morbus quæ salua reliquit,
Plus potuere, omnes quàm docuere scholæ.

INDEX
IN R.P. PETRI CANISII VITAM.

A.

Cani-

C.

Hel-

H.

I.

tri-

FINIS.

ERRATA.

Pag.3.	*lin.1.*	*legito* Aegidia.
p.8.	*l.6.*	*leg.* inferebant.
p.34.	*l.5.*	*leg.*patiatur.
p.57.	*l.13.*	abs re.
p.71.	*l.antepenult. le.* de initijs collegij.	
p.115.	*l 8.*	*leg.*multos.
p.160.	*l.16.*	*leg.*im mani.
p.189.	*l.19.*	*leg.*legione.
p.194.	*l.18.*	*leg.*spectabiliorem.
p.195.	*l.5.*	*leg.*piorum.
&	*l 14.*	*leg.*fessus.
p.196.	*l.2.*	*leg.*eius.
p.271.		*leg.*CIↃ. IC.
p.277.		*leg.*Bobadillam.
p.285.		*leg.*Manticæ.

Carolus Scribani Soc. IESV *in Prouincia Flandricæ Præpositus Prouincialis.*

CVM libros tres de Vita R. P. Petri Canisij à Matthæo Radero Soc. nostræ presbytero conscriptos, & nuper Monachij in lucem editos, destinati Ordinis nostri Patres legerint probauerintque; pro facultate ad hoc mihi factâ ab admodum R. P. N. Claudio Aquauiua Soc. nostræ Præposito Generali, concedo Hieronymo Verdussen facultatem eosdem typis iterum mandandi. In cuius rei fidem hasce meâ manu subscriptas, Sigilloque Officij munitas dedi Antuerpiæ 19. Ianuarij 1615.

Carolus Scribani.